


مکالمات  
دریافت  
در  
آن





Beitheld, Arfus. Traitus de iudicis et iurium  
iudiciorum: sive iuris antiqui,  
quam novi iustiniianeis nominis  
mihi seu ure hodie in imperiali cat  
mera recognit. etc.

1582.



44/51981



B  
21  
28

TRACTATVS  
DE IUDICIIS ET  
PROCESSV IUDICIARIO: TAM  
IVRIS ANTIQVI, QVAM NOVI  
*Iustinianei, & novissimi, seu usu hodie  
in Imperiali Camera recepti.*

Quem pro consequendo gradu Doctoris in utroq. iure:  
ad disputandum, in inclita Basiliensi Academia  
publicè proposuit: die 21. Aprilis. Anno 86.

STEPHANVS BERCHTOLDVS  
Ratisbonensis, nunc I. V. D.

*Eiusdem*

Annexa exempli loco, Actio forensis: ex qua, tanquam in speculo,  
modus & ratio procedendi: atque formulæ solennes judicio-  
rum, cerni & cognosci facile possunt.



ARGENTORATI  
Excudebat Antonius Bertramus,  
M. D. LXXXVII.



380|44| 519815



CLARISSIM O, CONSULTIS.  
SIMO ET DOCTISS. VIRO: GEORGIO OBRECHTO:

V. I. D & in inchyta Arg. Academia Codicis  
professori ordinario: Domino & patrono suo  
obseruandissimo.

Elices uere & beati (beatos in hoc  
mundo si dicere fas est) qui amicos  
aut patronos nacti sunt tales, quo-  
rum exēplis & adhortatiōibus præ-  
clarum aliquod uiuendi genus se-  
querentur: feliciores qui horum consilijs obtē-  
perantes clari & cele bres euaserunt: felicissimi atq;  
adeo supra omnem felicitatis gradum constituti,  
qui tantum apud eos gratia ualuerunt, ut consilio  
& auxilio summopere adiuti beneficijs summis af-  
ficerentur. Is, si quisquam aliis, equidem iure ui-  
deripossum. Cu'm enim anno septuagesimo sex-  
to, peractis Ratisbonæ, comitijs Imperialibus,  
a nobilissimis & amplissimis cœlitus ad me de-  
missis Inclytæ Argentoratensium Reip. legatis, ex  
patrio Gymnasio Ratisbonensi, in florentissimam  
ipsorum Academiam deductus essem: uix octidu-  
um ibidem in primarij Consulis domo constitui:  
ante quam in tuum, Vir clarissime & cōsulissime,  
non dico seruitum, nedum tutelam quidem, sed

(.) 2 parentes

parentelam me cooptasti; & iam decenniū conti-  
nuum aluisti; ut negem paternum ullum animum,  
humanitate, lenitate, indulgentia maiorem esse po-  
tuissle. Ad curias me & classes superiores celebri-  
mæ uestræ Academiæ misisti; & ne momentum  
quidem à lectionibus publicis, à priuatis studijs,  
repetitionibus & meditationibus abstraxisti. Ex  
quo cùm te plurimum mihi fauere, otiumq; no-  
bile & honestissimum tua benignitate mihi con-  
cedi uiderem, ciuilem scientiam magno & alacri-  
animo persequi institui: quæ cùm mihi infinitam  
eius uim & materiam, & aliarum rerum necessaria  
adiumenta consideranti, huiusmodi esse uidere-  
tur, ut eam me assequi posse diffiderem: tu ani-  
mum addidisti, eamq; esse dixisti, que, cùm uia à  
doctissimis uiris tradita, nunc doceatur, breui tem-  
pore & magna cum uoluptate percipi possit. In eā  
priuato meo studio quod posui, & uigilijs noctur-  
nis nunquam acquieuisti; sed in publicum ut pro-  
direm, opponendo & disputando aduersus claris-  
simos doctissimosque uiros ac ornatiissimos iuue-  
nes, scribendo, declamando, & respondendo de  
iure publicè, ut me exercerem, & ipse met in arenā  
descenderem uoluisti. Causas forenses tam in uer-  
nacula & patria lingua, quam stylo Ciceroniano  
pertractandas & peragendas (salua interim reui-  
sione

sione tua) mihi dedisti uarias. Nec contentus mea  
fidelitate, industria, candore (ut absque gloria di-  
cam) in reb. proprijs tuis & domesticis negotijs  
subministrandis : aliena desuper per Heluetiam,  
& alias ciuitates exteris, procuranda & expedien-  
da demandasti & commisisti. Imo etiam eo tem-  
pore, quod ex debito seruitio tibi dare grauabar  
nunquam, & quod alij otio illiterario, iudis, pocu-  
lis, ambulationibus plane inutiliter, cum magno  
quoque suo detimento tribuerunt: Ego tantum  
utilitatis, tantum fructus & suavitatis collegi & ac-  
quisiui, quantum uix aliis quisquam, suus etiam  
totus, licet studijs quam diligentissime in cumbat,  
percipere potest. Quid dicam de Bibliotheca in-  
structissima, innumeris ferè omnium artium &  
disciplinarum libris referta, quam tecum commu-  
nem habui, eaçq; usus sum semper. O felicissimum  
tempus, ex quo me in domum tuam, quasi in quan-  
dam Philosophiae officinam non solu'm accepisti:  
ueru'm etiam ad conuictum tuum & conuersatio-  
nem mihi aditum præbuisti. E quidem plurimū  
mihi soleo gratulari: & quo plus ad nostram con-  
uersationem accedit temporis, eo maiorem haurio  
suavitatem. Ecquid enim mihi utilius, quid honori-  
ficentius accidere potuit, quam eius uiri parentela  
& domestica frui consuetudine, quem mirabili ac

(:) 3 plane

plane diuina ingenij felicitate, & singulari integritate ac diligentia causis disceptandis, negotijs expediendis, & iure dicundo praestare: quem mane, meridie, uesperi omnibus in adeundo facilem se exhibere, controuersias plurimas ante componere, quam plerique & cubiculo uel triclinio exierint, uel genio indulserint: quem denique oblitu commodorum suorum, publicis semper inseruire, & alienistanto cum animi uigore constringi & impli cari quotidie ad meam utilitatem & ad exemplum conspicio: Longum esset, si quae quotidie summa cuncta uirtute facis, & quae in me beneficia contulisti, singula recensere uellem, & modum fortasse Epistolæ excederem. Sed cum sint eiusmodi, ut saepius commemorata placeant, & liberalitatis tua erga me commemoratio, non sereminus in scribendo, quam percipiendo delectet, in eum sermonem ingressus uix mihi ternerare possum. Neque id quidem, ut aribus tuis facta tui mentione honorifica, seruia: (scio enim quam blandas omnes uanitates non ames, & quam ipse etiam ab omni assentatione natura mea abhorre) sed ut mihi ipse aliquaque ex parte satis facerem, homines que non nulli, quos gloria tua, tuorumque gentilium, indies crescens inuidos sui obseruatores habet, quodammodo intelligerent, quanta cum integritate & laude, non tantum publice, sed

etiam

etiam priuatim uiuas. Cæterum legibus sanctū  
esse scio, ut collata officia officijs compensare & re-  
ponere cogamur. Athenienses item & Macedo-  
nes eius causa ingrati actionem dederunt. Persæ  
grauis poena in eos qui de se bene meritis gratiam  
non referrent animaduerterunt. Tanto ego nūc  
iustius ingratitudinis Reus postulari & condem-  
nari possem: quanto tua in me pietatis & huma-  
nitatis officia & maiora & minus obscura existūt:  
si non grati saltem animi, meq[ue] in te obseruan-  
tiæ signum aliquod (dum factō respondere sit im-  
possibile) ederem. Iccirco cùm iam quintūm de  
difficillimis, grauissimis, utilissimis iuris qua-  
stionibus & tractatibus publice respōderim: & co-  
lophonē adiçiens, pro legitimæ doctrinæ insigni-  
bus in utrōq[ue] iure cōsequēdis, disputaturus essem:  
Axiomata hęc de iudicijs & eorum processu, par-  
tim ex tuis prælectionibus doctissimis collecta cō-  
scripti: ea q[ue] non nisi tuo sub nomine in publicum  
emittere uolui: ut ea proposita facilius in augustissi-  
morum uirorū conuentu pro uirib. defendere at-  
que tueri possem. Huc accedit, quò quòd hic tracta-  
tus usui forensi & frequentior & proximior est: eo  
magis tui nominis inscriptionem flagitare uideat-  
ur. Tanta enim in patrocinando, aduocando, cō-  
sulēdo, sāpe etiam diju dicando uteris dexteritate,  
litigantes

litigantes à facilitate contentionū, iudiciorumq;  
strepitu dehortaris ac detrahis, ut s<sup>e</sup>pius ijs ami-  
cables compositiones suscipere, pacta facere, & trā-  
factiones inire suadeas. Quid amplius? hoc agis  
sedulo, ut statera iuris manibus gestetur, lances æ-  
quitatis æquo libramine appendantur, & causarū  
merita iuste trutinentur. Tibi igitur, Vir consul-  
tissime & prudentissime, patrone obseruandissi-  
me, hanc meam disputationē pro corona utriusq;  
iuris consequenda institutam, dico & consecro. Si  
quid inde fructus, si quod laboris præmium, si  
uictoriæ palmarium mihi obtinget: omne id meri-  
to acceptum tibi fero. Quicquid hoc est, ut æ quo  
bonoq; interim suscipias animo, donec grauius  
quiddam tua singulari, genuina, omnib. numeris  
consummata humanitate, doctrina, & integritate  
dignius Astræa nostra dare possit, te pro paterni  
tui animi in me propensione, etiam atque  
etiam oro & obsecro. Vale  
Scripsi Basileæ Rauracorum : die 10. Aprilis  
Anno salutis nostræ 1586.

Tibi

Addictiſſ.

Stephanus Berchtoldus Ratisbo.

DE ETYMOLOGIA VARIA SIGNIFICATIONE ET DEFINITIONE IUDICII

CAPUT I.



Ninets iuris hic præcipuus est finis, ut suum cuique  
tribuatur. Obtinendi autem ratio sita est in iudi-  
cisis, & recta iuris nostri persecutione.

Vnde declarant definitio justitiae, & præcepta juris, quæ dicuntur in I. Iustitia D. de justit. & ju.

Obtinendi autem ratio (et c.) ut appareat ex definit: Actionis tit. 6. lib.  
4. Inst.

2. In hoc precepto iuris ut suum cuique tribuatur, præcep-  
tua legum ratio continetur: & in iudicio, quod suum cuique tri-  
buit, præcipua pars administrandæ Reip. consistit.

Nemo enim sine jure in judicium provocat: nec sine judicio suum conse-  
quitur l. si procuratorem 8. §. mandati: D. Mand. sumpto arguento à  
contrario sensu.

3. Iudicij autem nomen Varro declinat à verbo δικαιω: alijs  
à dicendo: & indicare significat ius dicere & discernere.

Varro s. deling. latin.

4. Proinde iudicij nomen latius patet, quam ut ad solas cau-  
sus forenses referri debeat.

Quia etiam extra disceptationes fori jus dicere & ratio cinari possumus.  
At in tractatione forenium causarum, judicium significat interdum actio-  
nem vel accusationem l. In omnibus 41. D. de judic. toto tit. D. de public.  
judic. Et Theophilus refert, quas Athenienses vocabant *Alinas*, eas à Ro-  
manis vocari Actions: quia improbos & perfidos adjudicia agant. Inter-  
dum significat locum in quo lites tractantur: interdum verò civilem vel  
criminalem de præterito disputationem apud eum cuius sententia rei fi-  
nem imponit: vel significat partem huius disceptationis, in qua signifi-  
catione hoc tractatu accipimus.

5. Definiri iudicium posse videtur, quod sit legitima, de pre-  
terita civili vel criminali causa, disceptatio, coram indice fa-  
cta, ut eius officio controversie finis imponatur.

Dico legitima disceptatio) quia iudicium fieri nequit, nisi secundum le-  
ges fiat l. t. Nemo. C. de sent. & interlocut. om. jud. toto tit. C de sent. ex  
peric. recit. Hoc autem tum fit, si ordo & actus iudicij à Litigatoriis & à  
Iudice diligenter obseruantur, & si iudex in iudicando leges ipsetat: tum

enim Magistratus recte Remp gubernat, si leges sequitur, non proprium suum arbitrium. Nam teste Anflo. lib. 3. Politic. οὐέρ τε πέρι πελένων αρχέαν, διονέα πελένειν αρχέαν τὸν θεόν πάντας, οὐδὲ αὐθεωπον πελένων, προσιθυσι θεόν.

Dico de præterita civili vel criminali causa) quia Iudicium plerunq; est de præterito, non de futuro. l. 35. non quemadmodum. D. h. t. Et hanc differentiam inter legem & judicium, notat Cic. in partit. Interdum tamen etiam de futuro judicium constituitur, ut in actione damni infecti, & in act. aquæ pluviæ arcendæ: quia in his de futuro damno agitur. Tam civilis quam criminalis causa in judicium venit: quia in iudicio tam de rebus pecuniarijs, quam de criminibus & delictis agitur. l. ult. C. de ordin. iudic. Nam si quis extræ iudicium, vel in bonis, vel in corpore læsus sit, potest ad Iudicem confugere, atq; apud eum de re controverfa, cum adversario disceptare, iudicisque cognitioni causam discutiendam committere l. 3. d. tit. de ord. jud.

Dico coram constituto iudice) quia iudex est tanquam causa efficiens iudicij, hic enim per jurisdictionem efficit, ut iudicium recte administretur. Et certè, iudicium est tanquam palæstra, in qua Actor & Reus inter se pugnant, cui pugnæ praefectus est iudex, ut scilicet de ea iudiceret, & vincenti præmium tribuat: at victo plerunq; damnum inferat. l. properandum (3. C. de iudic.

Dico tandem ut eius officio controversiæ finis imponatur) quia officium iudicis est concessæ potestatis quasi instrumentum; quo lites determinantur. At litis decisio est causa finalis iudicij. Nam iecirco causa in iudicium deducitur, ut à iudice finiantur: iecirco inquam litigatores coram iudice de causa præterita certant, ut is sua sententia pugnam dirimat. Itaque sicut Actor & Reus litigare dicuntur, cum de jure suo apud iudicem quasi pugnant: ita iudex, cum pugnam Actoris cognoscit, dirimit, & componit, iudicium exercere dicitur.

## DE DIVISIONIBVS IVDICII

### CAPVT II.

6. *Iudicium variè dividipotest: primum in ordinarium & extraordinarium.*

Inscriptio tit. C. & D. de iudic. ostendit plures esse formas seu species iudiciorum.

7. *Ordinarium est, in quo usitatus & legitimus ordo, formuleq; agendi & litigandi obseruantur.*

Veluti cum in civili iudicio, ordine prius ad Magistratum in jus itur: ac ab eo formula & actionis conceptio postulatur: deinde apud iudicem disceptatur.

¶ Hoe

8. Hoc iudicium quia formule & imprestationes actionum  
sublatæ sunt, tempore Constantini Imperatoris exerceri desit.  
Et hodie secundum Iustinianum omnia iudicia sunt extra-  
ordinaria.

l. i. C. de form. & impetr. act. sublat. §, ult. Inst. de Interdict.

9. Veleriam Ordinarium iudicium dicitur, quod coram iu-  
dice ordinario, hoc est, coram eo iudice, qui suo iure, non alieno  
beneficio iurisdictionem habet, peragitur.

l. more, § D. de Iurisdic.

10. Hodie ordinarium iudicium dicitur, quod à iudice ordi-  
nario, & secundum ordinem nouo iure prescriptum peragitur.  
d.l. more. & ibi DD.

11. Nam et si antiquus iudicij ordo magna ex parte ab usu  
recessit: tamen in illius locum aliis est substitutus.

12. Subdiuiditur Ordinarium iudicium iure ciuili, in pu-  
blicum, priuatum, & centumuirale.

not. Cuiac. lib. obser. 10. obser. 20.

13. Publicum est, cuius cognitio est Principis vel Senatus  
vel Praetoris aut Praefidis, qui legibus querit.

14. Nec enim publicum iudicium idcirco dicitur, quod eius  
executio cuinis è populo detur, ut vult Iustin. §. 1. Inst. de pub.  
iud: sed idcirco dicitur, quod ex illis legibus descendit, quæ de  
publico iudicio latæ sunt.

ut vult Iustin. Imp. ) quia hac ratione omnia iudicia popularia essent  
publica, quod est falsum.  
quæ de publico iudicio latæ sunt) l. i. D. de public. iud.

15. Hoc vel est capitale, in quo pœna est mors aut exilium:  
quia hoc in iudicio caput eximitur de ciuitate: vel non capita-  
le, in quo pecuniaria aut in corpus aliqua coercitio pœna est.

l. 2. D. de public. jud.

16. Priuatum iudicium est, cuius cognitio est iudicis dati, &  
in quo de re pecuniaria, aut priuati hominis iniuria agitur: hoc  
iudicium hodie delegatum vocatur.

de quo est tit. Extr. de offic. de leg.

17. Iudicium centumuirale, quod à Valerio Maximo iudi-

*cium hæste dicitur, est, cuius cognitio est centumuirorum & Pratoris, qui hisce iudicis ex more praesidet.*

Hoc judicium Plin. & Quiatil. duplex & quatruplex esse dicunt: quia se Centumviri in consilia & tribunalia, modò duo modò quatuor dividebantur. Vnde interdum eveniebat, ut duobus iudicij vinceret Actor, & totidem vinceretur. Vide Cuiac d. obl. 20.

**18. Extraordinarium iudicium est, in quo legitimus & usitatus ordo non obseruatur.**

Veluti cum omisis formulis & impetracionibus actionum res apud Magistratum rectâ disceptatur l. 1 §. Est autem D. de Exerc. act. l. actio 47. D. de nego. gest.

**19. Sic etiam hoc iudicium dicitur Extraordinarium, cum non ex usitato & prescripto ordine, sed ex officio iudicis per modum inquisitionis vel denunciationis, vel alias de plano & aequitate proceditur.**

I. qui restituere 68. D. de rei vind. l. 1. D. de var. & extraord. cog. cap. super his. & cap. qualiter. Extr. de accusat. clem. dispendiosam. de iudic.

**20. Secundò iudicium diuiditur ratione finis in ciuale, vel criminale.**

toto tit. C. Quando civ. actio crim. præiudicet.

**21. Ciuale iudicium est, cum quis ita agit, ut petat id de quo queritur, sibi adiudicari, proprij & priuati commodi causa.**

Cum enim proprij & privati commodi causa actio instituitur, tum iudicium civile dicitur: ut est actio commodati, depositi, & similes. Item actiones quæ oriuntur ex delicto, ut condicione furtiva, & similes. Hæc enim iecrèdō civiles dicuntur: quia in his Reus ad propriam utilitatem agit, non ad multam publicam, ut in Reum animaduertatur l. locatio 9 § quoddilicite D. de public. & vestig.

**22. Criminale iudicium est, quod ad vindictam publicam instituitur, ut extra ordinem in Reum animaduertatur.**

Atq; hæc distinctio & agendi diversitas, manifestè traditur d. §. illicite. Ex quo apparet falsum esse, civile iudicium simpliciter illud dici, in quo pecunaria sequitur condemnatio. Nam plerunq; infligitur pena extraordinaria inverso ordine, & infertur fisco, non Actori. Itaque non est inspicendum quid veniat in condemnationem: sed quorsum & ad quem finem. Vide Duaren. lib. 1. Disput. c. 35.

**23. Ciuale iudicium rursus à natura petitionis institutæ vel est uniuersale, vel generale, vel singulare.**

**24. Uniuersale est, quando unus iuris petitione plures res simul peti intelliguntur, et si singula non exprimantur.**

1 t. D. de rei vind. cuiusmodi est simplex petitio hereditatis l. Item viden<sup>1</sup>  
dum. 18. §. ult. D. de her. pet. & possessoria hereditatis petitio l. 2. D. de  
poss. her. petit.

25. *Generale iudicium est, in quo genus petitur.*

quod sit in act. negot. gest. tutelæ, & pro socio l. 38. pro socio. D. pro soc.

26. *Singulare iudicium est, in quo res singularis ex singulari  
contractu petitur.*

Ut sit in act. mandati, commodati, & Depositari, actione in rem, & simili-  
bus. d. 1 pro socio. l. 1. D. de rei vind.

27. *Ciuile iudicium rursus vel est petitorium, vel est pos-  
sessorium.*

28. *Petitorium est, in quo principaliter agitur de rei domi-  
nio, vel quasi.*

Veluti si Rei vindicatio, Actio Publiciana, actio Confessoria, vel similis  
in iudicium deducitur. l. cum fundum §. ult. & ibi glo. D. de vi & viarm.  
cap. pastoralis. de causa poss. & prop. l. Eos qui §. sed si quis D. de public. in  
rem act.

29. *Possessorium est, in quo de nuda possessione rei disceptatur.*

Et hoc vel est adipiscendæ, vel retinendæ vel recuperandæ possessionis §.  
sequens Inst. de Interdict.

## DE PERSONIS QVÆ IUDICIO INTER SVNT, ET PRAECIPVE quis dicatur Iudex.

### CAPVT III.

30. *Iudicium constituitur a personis, qua illi interesse debent  
& solent: aliae quidem ut principales, aliae ut accessoriæ.*

31. *Principales personæ sunt tres: Index, Actor & Reus. Ac-  
cessoriæ autem plures, quarum aliae accedunt iudici: ut Scribæ,  
Apparitores & Assessores; aliae accedunt Litigatoribus: ut Pro-  
curatores & Aduocati.*

32. *Index est disceptator iuris. Et hic iudex vel iurisdictio-  
ni præst: vel a Principe aliqua potestate præditus est: vel da-  
tus est ab eo, qui ius dandorum Iudicium habet.*

*Iudex est disceptator iuris) Iudicij enim finis est ius, ut Cic. in Top. ait.*

33. *Roma iurisdictioni præfuisse dicitur Prætor, cuius propriè est iurisdictione.*

1. qui iurisdictioni 10. D. de jurisd. Hie vel est urbanus, vel est peregrinus. Urbanus dicitur, qui de civium inter se causis jus dicit. 2. de Orig. ju. At peregrinus dicitur, qui jus dicit inter cives & peregrinos d.l. 2.

34. *Licet autem Prætor ordinariè & propriè non iudicet, sed tantum det Indices: tamen etiam sèpè extra ordinem cognoscit. Ex quo sequitur eum non male Iudicem appellari.*

1. Si prætor. 75. D. de Iudic.

35. *Præterea Index is quoq; dicitur, qui à Principe aliqua potestate est præditus: hoc est, qui aliquo Magistratu fungitur.*

1. Eum qui 13. D. de Iurisd.

36. *Nam Magistratum creatio ad Principem spectat: quod intelligendum est de minoribus Magistratibus, qui non praesunt tribunalibus, sunt tamen indices.*

1. i. D. h. de jud. Nam ut Ascon. Pedianus docet, Prætores & maiores Magistratus pro tribunali jus dicunt: Minoribus autem Magistratus in subsellis consident, non in Tribunalibus, ut sunt Tribuni, questores, & alij.

37. *Tandem Index datus propriè apud Iurisconsultos dicitur Index quia prætores & alij Magistratus Romani magis dant Indices, quam iudicant.*

Nam tantum extrà ordinem cognoscunt: at Indices dati de causa cognoscunt, & quanè sit, an iniqua.

38. *Vnde etiam Index à Prætore, & officium Prætoris ab officio iudicis distinguitur. Ille enim habet iurisdictionem: at hic tantum habet notionem & iudicandi facultatem.*

1. 5. D. de V. O.

39. *Et hic Index modo delegatus, modo pedaneus, modo Index datus, modo Index specialis, modo Arbitr, modo Recuperator dicitur.*

1. Index datus 46. D. h. l. pe. D. judic. solvi. l. 3. D. Ne quis eum qui in jus voc. vi exim. l. 5. præses. D. de offic. præsidis. l. à Divo Pio. D. de re jud. Theoph. in Inst. tit. Quibus de ca. ma. non lic.

40. *Est autem magna differentia inter eum, qui Index datus est, & qui mandat am iurisdictionem habet: quia ille iurisdictionem habet & eius locum tenet, illiusq; vice fungitur, qui mandauit: At hic non habet iurisdictionem, sed tantum notionem.*

1. 16. D

l. 16. D. de jurisd. l. 5. ait Prætor. D. de re jud. l. ult. in fi. D. de offic. eius cui mand. est Jurisd. l. 5. C. h. de judic.

41. Hodie Index dicitur, qui iurisdictioni præst, ac populo iuxta legum prescripta & locorum consuetudines ius dicit.

c. forus §. Index. Extr. de V. S.

42. Et hic vel est ordinarius, vel extraordinarius.

43. Ordinarius est, qui suo iure vel Principis beneficio plenam iurisdictionem habet.

a. g. l. 5. D. de jurisd.

44. Principis autem beneficio iurisdictionem accipit Index tam Ecclesiasticus, ut Archiepiscopus, Abbas, & alij, qui à Pontifice iurisdictionem habent: quam secularis, ut Dux, Marchio, Comes, & alij, qui ab Imp. iurisdictionem accipiunt.

c. omnes distinc. 22.

45. Extraordinarius Index est, qui non suo iure, non etiam beneficio Principis: sed qui vel ex partium consensu, ut Arbitr. vel superioris commissione, ut delegatus, alicuius cause cognitionem recipit.

c. sanè &c. cum olim. Extr. de offic. deleg.

## QVIS IVDICEM DARE: ET QVI IVDICES DARI POSSINT.

### CAPVT IIII.

46. Iudicem dare possunt, quibus ea potestas auctoritate publica est concessa: ut sunt Magistratus ordinarij: & qui in imperio sunt, in provincia, ut Praesides: item qui mandatam iurisdictionem habent.

l. cum Prætor. §. 1. D. h. de jud. l. Eum qui. 13. D. de jurisd. l. 5. præses. D. de offic. præf.

47. At Index datus alium iudicem dare non potest: nisi à Principe sit datus: hic enim alium iudicem dare potest.

At iudex datus alium) l. 4. C. de ped. jud. quia iudicis dandi potestas vel lege vel vi Imperij competit d.l. cum prætor. §. 1. At non datur lege index à iudice dato: quia de eo nihil in jure specialiter constitutum: non etiam vi imperii competit, quia iudicis dati nullum est imperium: non enim jurisdictionem

risdictionem habent, sed tantum notionem. nisi à Principe) l. à Iudice 5.  
C. h. de Iud. quia Iudex à Principe datus habet jurisdictionem. novel. 60.  
Vnde etiam tanquam Magistratus assumit sibi Comites & Assessores d. No-  
vel. 50. Imò hic vice principis fungitur & judicare dicitur. 3 C. Si aduersus  
eum iud. ult. C de modo multæ.

48. Cæterum Iudex dari potest omnis, qui non prohibetur  
sive paterfa. sive filiusfa. sit.

d. l. cum prætor. §. non autem. & in f. l. in privatis. 77. D. h. de iud. Itaq;  
enumeratis ijs, qui dari Iudices prohibentur, constabit è diverso, qui dari  
possint: nam hoc ipso, quòd non prohibentur, videntur admissi. 43. mutus  
D. de procur. l. 3. D. de colleg. & corp. c. consulisti. 2. q. 4.

49. Prohibentur autem iudicare quidam naturā, quidam  
lege, quidam moribus.

50. Naturā prohibetur primò surdus, qui nihil protinus  
vel difficulter exaudit, quamdiu eo morbo laborat, & in per-  
petuum, si surditas sit perpetua.

d. §. non autem. quia Iudices oportet iudicium ordinare, oportet in quam  
in primis rei qualitatē, plena inquisitione discutere, & utramq; partem  
sæpius interrogare, ait Constant. l. 9. Iudices. C. de iud. conc. c. judicantem.  
30. q. 5. quod surdus facere non potest, qui nihil protinus vel difficulter ex-  
audit l. 3. §. Surdus D. Ad Sc. Sylla.

51. 2. Mutus, qui loquitur æsthus sine significatione, &  
sine articulatione.

d. §. non autem. l. Sed etsi in servum. 9. §. 1. D. de recept. qui arb. recep. l.  
mutum 9. D. de ædilit. edic. §. nam & mutus. Inst. Quibus non est per-  
miss. fa. test. Expedit enim, ut antè dictum, in iudicij fieri interrogations,  
l. Iudices C. de iud. tota tit. D. de interrog. in ju. fac. Et de pluribus Iudex  
sæpe interloqui debet tota tit. C. de sent. & interloc. om. jud.

52. 3. Furiosus, qui in continua alienatione mentis est, &  
intellectu caret: non qui dilucida habet interualla. Hic enim  
tam iure ciuili, quam Canonico iudicare potest. Quanquam  
ex sententia Aeschynis nihil periculosius est, quam in Rep.  
improbos vel insanos habere Iudices.

d. §. non autem. l. 1. § si furiosus D. de acq. poss. l. 1. §. interdum. &c. l. 4.  
D. de ædilit. edicto. l. Divus 14. D. de offic. præfid. l. cum furiosus 39. D.  
de iud. l. patre furioso 8. D. de ijs qui sunt sui vel al. ju. c. ij qui 32. q. 7.

53. 4. Impuberes. Interdum tamen quibusdam propter  
anticipatam etatis prudentiam, tenia etatis à Principe, iusta  
aliqua ex causa indulgetur.

Quia

Quia maturo iudicio earent d. §. non autem d. l. Sed et si in servis 59. D.  
de recept. & qui arb. recep. Hi enim natura sunt insciij, leves & contad omnes  
affectus, inconsiderati, & rerum inexperti: Itaq; frust. de aliorum negotijs  
judicarent, qui suis praesente non possunt l. 1. D. ac minor. Vnde L. Iulia cau-  
tum, nè minores 25. an. sententiam dicere cogantur cum l. lege. 46. D. d.  
tit, de recept. & qui arb. recep. & nè impuberis, hoc est minores 14. annis,  
publica munera suscipere possunt, et si hominum sit penuria l. 2. §. ul. D. de  
Iur. immunit.

Interdum tamen quibusdam) l. quidam consulebant. 57. D. de re jud. c.  
cum vicesimum, & offic. & pot. Iud. deleg. quod non fit nisi ex iusta causa,  
puta, quia penuria sit aliorum, & quia ipsi idonei sint, & maiores 14. annis  
l. non tantum it. vers. neq; enim, iunctis ijs per glossam allegatis in verb. ex  
causa, D. de decur.

54. Ancacius quoque a indicandi munere arceri debeat, con-  
trouertitur. Mihi verius videtur, caccum quidem a indicandi  
munere non arcendum: at eum non semper hoc officio fungi posse.

Quia saepè multa incident, quæ judicum oculis subiecti debent, ante quam  
cognoscantur, ut si agitur de Fin. reg. l. Siirruptione 8. §. ad officium D. Fin.  
reg. de collatione scripturarum l. Vbi falsi. 22. C. ad L. Cornel. de fals. &  
alijs similibus: quoniam in hisce casibus simpliciter aspectus requiritur,  
certè in illis cæcus nihil efficere potest.

55. Lege prohibentur Iudices esse primū, Senatu propter  
ignominiam moti: nisi restituti sint, vel tempus condemna-  
tionis sit elapsum.

d. l. cum Prætor. §. non autem l. 2. D. de Senat. l. 3. §. Imperator. D. de  
Decurionib. l. 2. C. de dignitat. lib. 12. l. 1 C. de infam. l. 3. C. de jur. milit.  
l. Sancimus. 6. C. Ad L. Iul. repet.

56. 2. Legum imperiti & qui rerū experientia desituuntur.

§. 1. novel. 82. §. nos autem sancimus novel. 161. c. statuimus. distinct. 61.  
Quia iudex per se & non per Vicarium, item secundum lura, & non ex suo  
arbitrio judicare debet l. Nemo 13. C. de sent. & interloc. om. jud. §. 1. Inst.  
de offic. iud. Ignorantis enim iudicis pleruq; est calamitas innocentis, ut  
Augustin lib. 19. de civit. Dei c. 6. ait.

57. Hoc autem non simpliciter afferimus. Nam permittitur  
Legum imperitis illarum causarum cognitio, quarum in ipso peri-  
tiam aliquam habent, veluti militibus de re militari: & Ar-  
tificibus de rebus sui artificiis.

1. Magisteria 6. C. de Iuris d. om. jud. l. pc. C. de jud. l. ult. C. de re milit.  
lib. 12. l. uit. C. de Iuris d. om. jud.

58. Imo etiam credo, Mercatores de ijs indicare posse, quo-  
rum peritiam habent, de alijs non posse.

d.l. d.e. D. De jurisd. om. jud.

59. 3. Sacerdotes in causis secularibus. Nam in causis Ecclesiasticis ut Sacerdotes iurisdictionem habent: ita certum est illos de ijs indicare posse.

I. consulta Diyalia. 23. C. de testam. to. tit. Ne Clerici vel Monachi negot. secular. se immisc. I. Prætor. 13. D. de v. cat. mun. l. omnes. 32. C. de Episc. & Cler.

Nam in causis Ecclesiasticis) Cic. pro domo sua l. s. offa D. de relig. & sumpt. fun. l. 53. hereditas D. de petit. her. l. nulli 28. C. de Episc. & Cler.

60. 4. Pauperes, & qui de suo vivere non possunt. At hoc non simpliciter forte admitti debet.

I. rescripto 6. D. de mun. & hon. meruant enim leges, nè inopes Indices deprædandi occasionem ex officio accipiant Vnde olim factum videtur, quod apud Romanos ex plebe nullus Magistratus fuit creatus not. Halicarn. lib. 4. & quod olim ratione census ex sequestri ordine electi sint, quorum census erat quingenta lestertia not. Plin. lib. 33. c. 2.

61. Melius enim est inquirere cuius existimationis, eruditio-  
nis & fidei sit Index, quam cuius patrimonij.

I. s. non omnes D. de re milit. l. nemini licere u. C. de Advoc. divers. Iud.

62. 5. Is, qui nominatum ab altera parte petitus: nisi Princeps de eo compellatus, id permittat.

I. obseruandum. 47. D. h. de judic.

63. Moribus Indices dari vel Arbitri esse prohibentur: I. Serui. Quamvis hodie non sit insolens, seruos in orbe Christiano Indices fieri.

d.l. cum Prætor. §. non autem l. Non distinguemus 32. §. si servus D. de recept. qui arbitr. recep. l. Quod attinet D. de R. I. l. intercedit. 59. D. de cond. & demonstr.

64. 2. Mulieres. Quanquam hodie res eò per venerit, ut Mulieres indicare possint, si in aliqua regione iurisdictionem habeant, siue iure hereditario, siue consuetudine, siue lege municipali.

d. §. non autem l. 2. D. de reg. jur. c. mulier 33. q. 5. non quia non habet judicium: sed quia receptum est, ut civilibus officijs non fungantur, ait Paulus d. §. non autem. Et hoc non tam propter ipsas mulieres, quam propter alios est receptum. Propter ipsas mulieres: quia est contra ipsarum pudicitiam, consortijs hominum interesset l. maritus. C. de procur. l. 2. C. de ijs qui ven. æt. c. definitus. 18. q. 2. c. mulieres de jud. Propter alios: quia Iudicem oportet esse occulatissimum, in negotijs expertissimum, & in officio constantissimum, & inflexibilem d. l. obseruandum 19. D. de offic. præsid. l. re-  
spiciendum

spiciendum D. de poen. At mulieres propter consilij infirmitatem fallacijs & insidijs sunt expositae l. 2. §. pe. D. Ad Sc. Vell. nimiumq; misericordes & credulæ. Imò mulieres pronae sunt ad avaritiam l. Sed si ego 4. D. Ad Sc. Vell. quæ à Iudice tanquam pestis procul abesse debet l. plebiscito. 18. D. de offic. præsid. Hinc Menander dixit μήποτε λάθης γυναικαίς συμβολίαν. Et Imperator Iustin. vetuit mulieres cuiusquam negotij arbitras esse l. ult. C. de arbitri. Igitur malè Pontifex contrarium statuit c. dilecti, de arbitri. Quanquam hodie res not. Ang d. §. non autem & Panormi. in d. c. cum dilecti glo. ult. in c. cum devotissimam 12. q. 2. not. Philip. Decius d. l. 2. D. de R. I.

QVIS ACTOR ET REVS: ET  
QVOT MODIS QVIS FORVM SORTIRI  
DICATVR.

CAPVT V.

65. Hactenus de Iudice dictum: sequitur, ut de Litigatoriis bus dicatur, qui sunt principales partes, & principia membra iudicij, adeò ut sine his Iudicium non constat.

l. Inter Litigantes 62. D. h. de jud.

66. Inter Litigatores primum locū obtinet Actor, qui Actionem proponit, & prius ad iudicium prouocat: hoc est, qui assert in iudicio aliquid dari, fieri vel solui debere, vel qui alium primò ad Iudicem vocat.

l. 2. §. ult. D. com. divid.

67. Plurimum autem refert scire quis Actor sit vel Reus: quia Actoris est aliquid proponere & id probare, quo non probato Reus absolvitur.

l. qui accusare 4. C. de Eden.

68. In duplicitibus iudiciis Famil. herisc. com. diuid. & Fin. reg. ut erg. Litigator & Actor est, & Reus. Quod si accidit, ut uterg. ad iudicium prouocet, is Actor intelligitur, quem constat prius ad iudicium prouocasse: quod si non constat, vel si neuter prouocauit, is Actor iudicandus erit, quem sors definierit.

l. In tribus 13. l. qui appellat 29. l. sed cum ambo. 14. D. h. de Iud.

69. Reus is dicitur, qui rei incumbit, & rem in iudicio defendit

fendit. *In modo* is dicitur, qui accusatur. Et huius persona, in causa in iudicium deducenda precepue spectatur

I. properandum. 19. C. h. de Iud. c. forus de V. S. l. s. minor. D. de procur. toto tit. de custo. reor. I. Iuris ordinem. 2. l. In criminali. 5. C. de jurisd. om. jud. c. sic clericus. &c. cum sit, de foro comp.

70. *At forum sortitur quis vel ratione domicilij, vel ratione contractus, vel ratione delicti.*

71. *Ratione domicilij: quia conueniri quis debet eo loco, ubi habet domicilium, vel tempore contractus habuit, et si postea id transtulerit.*

I. heres absens. 19. §. ul D. h. tit. de jud. l. 2. C. de jurisd. om. jud.

72. *In modo* domicilium dicitur quis ibi habere, ubi omnes suas facultates habet, vel ubi habet maiorem partem suorum honorum. toto tit. C. de Incol. lib. 10. l. 2. C. Vbi Sen. vel. clariss c. licet de foro comp. Vnde si Actor aliò Reum vocat, quam ubi domicilium habet, tum Reo com. petit jus revocandi domum l. 2 §. legatis. D. h. tit. de jud.

73. *Ratione contractus sortitur quis forum: quia ibi quis conueniri debet, ubi contraxit. Omnis autem obligatio pro contractu habetur: adeo ut ubicunq; aliquis obligetur, etiam contrahi videatur, quamvis ex crediti causa non debeatur.*

d. l. heres absens §. si quis l. Argentariū. 45 D. de judic Paulus l. omnem zo. D. h. t. l. neq; 54. D. de procur. l. 1. C. Vbi de ratiocin. tam pub quam priv.

74. *Quod si in loco, non tanquam domicilio, tabernulam, horreum, armarium, seu officinam conduxit, ibi contraxit, eo quoq; loco conueniri debet.*

d. l. heres. §. proinde. Vers. At si quo consistit d. tit.

75. *Deniq; ratione delicti sortitur quis forum: quia eo loco, quo quis deliquit, conueniri & in ius vocari potest.*

Nam causa criminis ibi agitur, ubi Reus crimen admisit. l. 1. & toto tit. C. Vbi de crim. ag. op. c. si quis Episcopus II. q. 3. c. placuit 6. q. 3. sive Reus sit miles l. 2. C. Vbi quis decur. vel cohort. sive clarissimus l. 1. C. Vbi Sen. vel Clariss. sive deniq; sit persona divinæ domus vel Cæsatianus l. cum aliquid 9. cum 2. ll. seqq. C. Vbi causæ fiscales.

76. *Hæc autem omnia intelligenda sunt cum hoc moderamine, si nimirum res, de quibus contenditur, vel persone qualitas eius sint fori, coram quo litigatur: alioqui nemo index esse potest*

*poteſt ultra iurisdictionem ſibi confeſſam: vel ultra rem, ad quam datus fuit: vel ultra preſcriptum tempus: nec alibi quam ubi iurisdictioni locus dictus eſt.*

1. ult. D. de jurisd. om. jud. l. i. C. Si à non comp. jud. l. 2. §. Si Iudex D. de jud. l. Si ut proponit. C. Quomodo & quando iud. Videantur tituli C. lib. 3. à tit. 14 usque ad tit. 27. inclusivē;

## QVIS AGERE, VEL CONVENI RI, AVT SE DEFENDERE POSSIT, & non,

### CAPUT VI.

77. *Agere, & in iudicio experiri, alijs ſuo, alijs nomine alieno poſſunt. Suo nomine agunt omnes, qui non prohibentur. Prohibentur autem alijs natura, alijs lege, alijs Canone.*

arg. l. 1. §. 1. D. de postul.

78. *Natura prohibentur infantes, pupilli, furiosi, mente capti, muti & surdi ſimil.*

Nam quia hi vel intellectu, vel operatione intellectus deſtituuntur: iccirco in iudicio agere non poſſunt.

79. *Hinc infantes, pupilli, qui non ſunt ultra ſeptem annos, per ſe agere non poſſunt, adeò ut ſententia contratales lata ipſo iure ſit nulla, ut reſtitutione non ſit opus. Lata tamen in horum fauorem forteſſubſiſtet.*

l. 3. C. Si adverſus rem jud. l. i. C. Qui leg. perso: ſtandi in Iud.

Lata tamen) quia quod favorē quorundam introductum eſt, non debet in illorum dāmmū & incommodū torqueri l. 6. C. de LL. l. nulla 25. D. d. tit. de LL.

80. *At ſeptimo anno elapſo pupillus agere poſteſt, ita tamen ſi tutor praefens authoritatē ſuam interponat. Quamuis interdum pupillus etiam ſine tutorē agere poſteſt.*

l. i. §. licentia, D. de adm. tut. praefens dico: quia non ſufficit conſenſus per Epifolam §. tutor, autem, Inst. de autho. tut. Interdum pu- pillus etiam ſine tutorē agere poſteſt.) Si nimirum de poſſeſſione experiri velit l. ult. C. Qui leg. pers. ſta. in jud. quia cauſa momenti, ſeu poſſeſſio- nis eſt minimi praetudicij. not Barth. l. i. C. Quor. bon. no. 10. Nam finis poſſeſſoriij principium eſt petitorij, ut in foro loquuntur. Et quia

proprietatis quæstio adhuc superest, quæ tamen non per pupillum sed p-  
tutorem tractari debet not. Cuiac. in paratit. C. d. tit. Qui leg. perso- sta.  
Hinc etiam furiosus judicio interest nequit, sicut nec aliud quodcunq; ne-  
gotium gerere §. furiosus. Inst. de Inutil. stip. l. 40. l. 124. §. i. D. de Reg-  
jur. Quod similiter de mente captis dicendum d. §. furiosus. vers. Sed &  
mente captis, &l. 2. D. de postul. Hinc deniq; nec muti & surdi simul agere  
possunt. Nam qui utroque morbo à nativitate laborat, inutilis homo  
habetur.

81. Lege prohibentur alij planè non agere : alij non agere, nisi  
post certum tempus, vel nisi cum venia, vel deniq; non nisi cum  
consensu aliorum.

82. Planè non agere possunt servi: nisi certis in casibus. Hodie  
quia seruitus antiqua cessavit: iccirco fit, ut servi nostri in iu-  
diciis consistere, & tam contra alios, quam ipsos dominos agere  
possint.

Quia ad litigandum non sunt idoneæ personæ: non enim personam ha-  
bere intelliguntur l. 6. servus. cum l. seq. C. h. tit. de jud. l. 4. C. de obseq-  
patr. præst. nisi certis in casibus) l. vix certis 54. D. h. tit. l. Servo alieno. 113.  
§. Si quis post tempus. D. de leg. l. l. Servos ad custodiam templi 17. D. de  
alim leg. l. l. C. Si pervim vel.

83. Deinde inter eas personas, quæ iure potestatis iunguntur,  
regulariter nullum potest consistere iudicium: adeo ut ne quia  
dem in ius vocatio vocatum adstringat, aut vocantem ad pœ-  
nam edicti obliget.

l. lis nulla. 4 & l. Si à me ii. D. h. tit. l. ult. C. de in jus voc. l. 8. D. d. tit. Ra-  
tio est: quia nemo secum ipso litigare & agere potest. At filiusfa. & paterfa.  
habentur pro una & eadem persona l. nlt. C. de impub. & al. subst. Vnde  
fit ut si lis fuerit inchoata contra eum, qui non erat in potestate tempore  
accepti judicij, quòd solvatur iudicium, si per arrogationem talis in potesta-  
tem adversarij venerit d. l. Si à me.

84. Atq; hinc iure ordinario inter patrem & filium nullum  
esse potest iudicium: at extra ordinem esse potest.

l. cum filiusfa. 17. D. de reb. cred. l. 3. §. Ergo. D. de minor. l. 92. D. de  
cond. & demonstr. l. 5. D. de lib. agnosc. l. 13. C. de Episc. aud. Et iure Ca-  
nonico filius contrà patrem, vel pater contrà filium ratione delicti agere  
potest. cap. non est vobis. & ibi not. Panorm. de sponsal. Sic etiam filiusfa.  
adversus alium qui non est pater, actionem instituere non potest, iure ordi-  
nario l. filiusfa. 8. D. de oblig. & act. Quia regulariter nihil habet de quo  
possit agere: sed omnia patri acquirit §. i. Inst. per quas perso. l. placet 79.  
D. de acquir. her. At interdum ex causa propter utilitatem filiofa. permit-  
titur agere extra ordinem: ex omni sc. causa, quæ absente patre qualita est l.  
si lon

si longius. 18. §. i. D. h. t. I sed si unius 17. §. filiusfa. D. de iniur. Et tum si-  
liusfa. experitur utiliter, non directo: quia subtili juris ratione, ut alia omnia:  
ita etiam actiones acquirit patri d. l. placet. At utilitatis ratio suadet, ut  
etiam filiofa. actiones instituere permittatur d. §. i. d. §. filiusfa. Iure Ca-  
nonico filiusfa. in causis spiritualibus & beneficialibus & ab ijs dependen-  
tibus agere potest, cap. ult. de jud. lib. 6.

85. *Minores 25. annis similiter per se agere non possunt:*  
*adèò ut sententia contra adolescentem absente curatore lata,*  
*ipso iure nulla sit.*

1. 2. C. Qui leg. perso. sta. l. acta 45. §. ult. D. de rejud. Itaq; si minor in  
judicio vult agere, necesse est, ut curatorem ad item accipiat, ut rectè not.  
Ang. §. i. Inst. de cur. perl. clarum C. de autho. præst.

86. *Interdum tamen minor sine curatori agere potest, veluti*  
*de libero homine, cognato, vel parente, vel affine exhibendo,*  
*vel si agat venia etatus impetrata.*

1. 3. §. hoc interdictum. vers. sed et si mulier. D. delib. ho. exhib. l. 2. &  
3. C. de his qui ven. at, impetr,

87. *Prodigi quoq;, qui neg. tempus, neg. finem expensarum*  
*habent, sed sua dissipando & dilapidando profundunt, à foro*  
*& iudicio arcentur: adèò ut quāmprimum quis est prodigus,*  
*per se in iudicio non rectè versari, nec aliud quippam agere*  
*possit: etiam si à Magistratu nondum sit ei bonis interdictum.*

Quia furios ex parte comparantur. Fulcinus. 7. §. adèò, in si. vers.  
idemq; in prodigo. D. Quib. ex ca. in poss. eat. l. i. C. de cur. fur. Nam ut  
furiosus desipit animo, ita prodigus desipit moribus. Prodigus enim VI-  
piano is dicitur, qui neque finem neque finem expensarum habet: sed sua  
dissipando & dilapidando profundit l. i. D. de cur. fur. Itaq; prodigis dan-  
tur Curatores qui illorum negotia administrent d. l. i.

etiam si à Magistratu nondum ) l. 18. D. Qui test. fa. po. d. l. i. D. de cur.  
fur. Imò ut quis prodigus declaretur, Magistratus sententia iniquè exigi-  
tur, & supervacaneè. Iniquè exigitur: quia iniquum est prodigum tamdiu  
bona sua profundere posse, donec sententia Magistratus interveniat, quæ  
plerunq; post omnia bona dilapidata intervenire solet. Iniquum inquam  
est, & absurdum, omnia ea quæ antè interdictione fiunt, rata haberi: non  
secus, ac si ab optimo, & diligenti patresa. gesta essent: cum subsequens in-  
terdictio prodigum nō faciat: sed declareret tantum. Supervacaneè exigitur:  
quia vel scit aliquis prodigum esse, vel nescit: Si scit, & nihilominus cum  
prodigo contrahit, sibi imputet, si quid detrimenti percipit: Si nescit, certè  
inutilis erit interdictio, si talis eam interpositam esse ignoret. Huic sententiae  
quæ obstat possunt, refutat Donellus d. l. Is cui D. de V. O.

88. Præterea

88. Præterea in iudicio non possunt agere Monachi: quia nullum habent rerum dominium, & ad profana negotia quod attinet, pro mortuis habentur.

l. Deo nobis 55, C. de Episc. & Cler. c. placuit; 2 q. 7. c. unico, de Synd.

89. Tandem inter uxorem & maritum ultrò citroq. Actiones famosæ & institui nō possunt, præsertim matrimonio constat.

Quia hoc est contrà matrimonij fidem, qua alter alteri omnem amorem benevolentiam & fidelitatem promisit, l. 2. C. Rer. amot. l. 1. D. d. tit.

90. Agere non possunt, nisi post certum tempus, y, qui sunt in maiori Magistratu, sed temporali. Nam pendente administratione agere nequeunt.

1 pars literarum. 48. D. h. tit. quod intelligi debet secundum l. 2. D. de in jus voc. & l. nec Magistratibus 32. D. de iniur. Metuendum enim ne Iuges magis in favorem superioris Magistratus, quam Iustitia jus dicant.

91. Hodie tamen multis in locis Magistratus sunt perpetui. Iccircò semper conueniri possunt. Imò etiam ex recepta consuetudine y Magistratus conueniuntur, qui sunt temporales, & qui adhuc sunt in Magistratu.

92. Sic etiam pupillus uniuersalem rationem exigere, antequam tutela finiatur, adultus cura adhuc durante, & debitor ante oblationem vel debiti solutionem pignoratitiam instaurare non potest.

l. nisi finita 4. l. Sicutor 9 § ult. D. de tutel. & rat. distr. l. 5. solvitur. D. Quib. mod. pig. vel hyp. sol.

93. Creditores quoq. quibus in diem vel sub conditione debetur, licet statim debeatur, petere tamen id non possunt, antequam vel dies venerit, vel conditio extiterit.

l. 4. D. de pact. §. in diem. &. §. Sub conditione, inst. de V. O.

94. Agere non possunt, nisi cum venia, liberti contra patronum, patronam, aut eorum parentes, liberos vel heredes: subditi contra Magistratus suos: & filii per emancipationem patria potestate soluti.

l. 4 §. Prætor ait. D. de injus voc. l. 2. C. d. tit. l. 2. D. d. tit. de in jus voc. §. ult. Inst. de pœn. tem. litig. Imò etiam filii. in potestate patris adhuc constituti, ratione castrensis vel quasi castrensis peculij. patrem aliter conuenire non possunt nisi cum venia not. d. l. lis nulla D. h. t. & l. cum oportet

oportet 6. §. Exceptis castrenisibus. C. de bon. quælib. &c d. §. ult. Inst. de pœn. tem. litig. Et hoc casu filius non opus habet consensu patris, sed sufficit venia Prætoris seu Magistratus, quæ obtinenda est, etiam si filius in dignitate aliqua sit constitutus, ut bene nor. Ang. & glo. in verb. non impe- trasset §. pœnales. Inst. de Act. Quia dignitas naturalem pietatem & reverentiam non tollit. §. ult. Inst. deleg. agn. tut.

95. *Agere filijsa. in potestate patria constituti, non possunt sine consensu patris, in peculio profectio & aduentitio. In peculio Castrensi vel quasi castrensi non opus habent patris consensu, sed veniam prius impetrare debent.*

l. 4 miles §. i. D. de castr. pecul. d.l. lis nulla. D. h. t. l. 6. C. de bona. quæ lib.

96. *Canone agere prohibentur Excommunicati. Hi enim tanquam diris deuoti, & tanquam putrida membra omnitam iuris, quam humane consuetudinis beneficio priuantur.*

c. Exceptionem, de Except. c. omnis Christianus, ii. q. 2. &c. si quis à Catholica Ecclesia. 24. q. 4.

97. *Alieno nomine agere possunt alij, qui sui iuris sunt: alij, qui sunt iuris alieni. Alieni iuris sunt filijsa. qui post annum 25. non prohibentur pro aliis agere.*

not. in tit. C. Qui legi. perso. fr. in iud.

98. *Inde etiam ante annum 25. omnibus in casibus, in quibus pater fraudem seu damnum pateretur filio non agente, vel si pater ob furorem & dementiam est absens loco, filiusfa. pro patre recte agit.*

99. *Sui iuris sunt Patres, Tutores, Curatores, Syndici & Procuratores. Et hi vel publica autoritate res aliorum administrant, ut Patres, Tutores, Curatores, Syndici: vel administrant autoritate priuata, ut Procuratores.*

100. *Iam Patres filiorum nomine in bonis aduentitiis recte agunt consentientibus filiis, nisi absint, vel fari non possint, etiam sine cautione indicatum solvi, & de rato.*

l. ult. §. ubi autem C. de bon. quæ lib. etiam sine cautione ) secundum Accurs. Angel. Specul. & alios. quorum sententiam Cuiacius in paratit. C. de bon. quæ lib. approbat.

101. *Sic etiam tutores tam testamentarij, quam legitimi & dativi pupillorum nominere recte Actiones instituunt: sicut & curatores adulorum nomine,*

D

Etsi enim tutores principaliter dentur personis §. certæ autem rei. Inst. de ijs qui test. tut. tamen in consequentiâ etiam bonorum administratio illis committitur. not. toto tit. Inst. deautho. tut. Curatores adulorum nomine) l. 1. D. de minor.

102. Syndici quog. alieno nomine agunt. qui iure Pontificio illi dici videntur. qui Monasterij aut conuentus Ecclesiastici causas dicunt. agunt & persequuntur: at iure ciuili dicuntur Actores uniuersitatis.

ut colligitur ex Rubr. & text. ci. unici. de Synd. at iure ciuili) l. 1. §. qui. bus autem. & l. Item eorum. 6. §. uniuersitatis. D. Quod cuiusq; uniuers. Et hi si dubitetur. utrum sint constituti Syndici. tum de rato cautione p̄. stare coguntur. l. 9. Actor. D. Rem rat. hab.

103. Priuata authoritate res aliorum administrant. Procuratores. quibus priuata authoritate negotia committuntur. ut in quibus rebus ipsi interessent non possumus. in his opera nostra vicaria procuratorum fides supponatur.

ut Cic. pro S. Roscio ait. Non enim eodem Cic. authore. omnia possumus per nos agere. Alius alia in re magis utilis est. ut s̄p̄ plus prospicit. res nostras per alios. quam per nos geri. ut etiam sentit Vlp. l. 1. D. de procur.

104. Conueniri & se defendere in iudicio. alijs per se prohibentur natura. alijs lege. Naturâ prohibentur infantes. furiosi. mente capti. muti & surdi.

Sicut enim hi propter defectum intellectus nec suo nec alieno nomine agere possunt: ita etiam nec ab alijs conueniri possunt: sed necesse est. ut vel tutores vel curatores illorum nomine compellantur. ut supra d.

105. Lege conveniri non possunt servi: Et his Monachi comparantur.

l. antepen. D. de reg. jur. l. servus 6. C. de Iud.

106. Filijs. vel egressi sunt annum 25. vel non sunt egressi. Priore casu ut filius fa. suo nomine cōtrahere & agere potest: ita quog. conveniri potest: Exceptis duobus casibus. mutuo vide. licet & voto: Posteriore casu filius fa. etiam conveniri potest: sed curatorem ad litem accipere debet.

l. tam ex contractibus 57. D. h. tit. l. filius fa. 9. D. de oblig. & caet. mutuo videlicet) quia obstat SC. Maced. toto tit. D & C. Ad SC. Maced. & voto) quia votum non habet executionē ex jureg. sed ex jure publico. Näm quia votum Deo fit: ceriē ad sacerdotes pertinet. qui sunt juris publici. l. §. l. D. de just & ju. Iam autē sacerdotes filium fa. non habent pro integra persona. quia per se non habet sacra. sed est in paternis sacrī. filiae 12. C. de collat.

Et sic circò non permittunt filium sa sine patris autoritate devovere l. 2. §.  
voto. D. de pollic. quia nefas & impium judicant Deo ab eo aliquid voveri  
qui per se sacra non habet, not. Alc. lib. 5; parerg. c. 9. *posteriore casu*)  
quia per se non habet legitimam personam standi in judicio l. 2. C. Quileg.  
perso. sta. Et quia ita obligantur ut restitu possint l. Minor. 51. D. de Procur.  
Quod si non habeat minor curatorem, petere cogi debet. l. i. C. Qui pet.  
tut, vel cur.

## DE PERSONIS IUDICII ACCES.

### SORIIS CAPVT VII.

107. Ceterum personæ accessoriæ iudicij, aliae accedunt iudi-  
ci, aliae Litigatoriibus. Iudici accedunt Apparitores, Scribae,  
Cancellarij, & Assessores.

108. Apparitores generaliter dicuntur omnes, qui Magi-  
stratui apparere solent, cuiusmodi sunt Scribae, Accensi, Inter-  
pretes, Lectores, Viatores, Praecones. Strictius autem Viato-  
res dicuntur, qui Litigatores in ius vocant.

not. Hotom. 3. Verr. & Vigelius. lib. 2. D. c. 18. & 19.

109. Et quidem olim ipse Actor Reum in ius vocauit: imò si  
sponte sequi noluit, obtorto collo, ad tribunal Prætoris duxit.  
Hodie autem Index Apparitori mandat, ut reum in ius vocet:  
de consuetudine tamen in multis locis ipsi Litigatores hoc Ap-  
paritori mandare possunt.

Quod l. 12. tabb. fuit introductum. Hodie autem) An verò mandati exe-  
cutio facta sit, cognosci ex Apparitore debet, cuius responso, praesertim in  
causis civilibus contenti esse debent litigantes, idq; propter electam fidem,  
& juramenti religionem, qua iudicio obstrictus est. l. magis 5. §. nā tamen  
D. de reb. eor. qui sub tut. l. i. §. quies. D. de offic. præfecti Vrb. l. Appari-  
tores 5. C. de exactiorib. trib. lib. 10. Hoc tamen Speculator non admittit,  
si Reus honestiore loco natus neget se in ius vocatum. quod etiam not Salic.  
ad l. 9. C. Quom. & quando. Iud. Debet autem Apparitoris Relatio, seu eius  
Executio ad acta referri. Est enim pars substantialis actorum, adeò, ut si ea in  
actis non reperiatur, nec citatio nec sententia subsistat, sed totus processus  
corruat. l. 5. hæc autem. §. i. D. Ex quib. ca. in poss: ea. ubi Barth. no. 1. & 2.

110. In Camera iudicio receptum est, ut si culpa vel imperia-  
tia Apparitoris seu nunti⁹ Executio citationis non rectè facta  
sit, eam suis sumptibus de integro facere teneatur,

Andr. Geyl. pract. obs. lib. 1. obs. 54. circa fin.

III. Scribae, Exceptores seu Amanuenses sunt, qui dicta

*actaue excipiunt, & omnia, que in iudiciis peraguntur, bona  
fide conscribunt.*

Qui etiam Cancellarij vocantur. C. de Assessor. Cancell. & Assess. Iud.  
Cujus vocabulirationem reddit Cujac. in paratu d. tit. Et horum princi-  
palis finis ac ratio est memoria gestorum, ne acta vel interpolentur vel mu-  
tentur: sed ut semper constet quid actum sit. l. 17. contyactus. C. de fid. instru-  
ment l. 4 contrahitur. D. de pig. c. quoniam contra . de probat.

112. *Assessores in iure nostro præcipue dicti sunt Iuriſperiti,  
qui tum in publicis, tum in privatis iudiciis, publico constituto  
salario in consilium adhibebantur, quorum officium præcipue  
in causis cognitionum, postulationum, libellorum, Edictorum,  
Decretorum & Epistolarum constituit.*

l. 1. & passim D. de offic. Assess. Itaq; hi consilia Iudicum vel Iudices in  
suis consilijs adjuverunt. l. 17. C. de Allelio: Ipsi non fuerunt Iudices, quia  
libellis subscribere non potuerunt l. 2. C. d. tit. Et quia absente Magistratu  
nec causas audire, nec judicare potuerunt, l. ul. in fi. C. d. tit. In his au-  
tem necessaria fuit cognitio juris: non in Magistratul. l. 2. D. Quod quisque  
jur l. pe. C. h. tit. Vnde etiam tales à Magistribus ob iuris peritiam fue-  
runt electi l. 1. C. d. tit. de Assesso. l. 1. D. de offic. Assess.

113. *Hodie nostri iudices seu Magistratus etiam habent suos  
Assessores seu Iuriſperitos, quos male Advocatos appellant.*

Nam advocati dicuntur, qui Litigatorum causis adjunt, qui inquam Liti-  
gatoribus, non Iudicibus consulunt, ut not. in tit. C. de advoc. divers. Iud.  
Nec dici potest, nostros Advocatos tam Advocati, quam Assessori munere  
fungi: quia id expresse ab Imp. Iust. l. ul. C. de Assesso prohibetur.

114. *Litigatoribus accedunt Aduocati & Procuratores. Aduo-  
cati dicuntur, qui Litigatorum causis adjunt, qui Litigatori-  
bus, non qui Iudicibus consulunt. Neg. simil Aduocati et  
Assessori munere fungi quis potest.*

115. *Procurator respectu materie diuiditur in procuratorem  
ad negotia, & procuratorem ad lites datum. Procurator litis  
est, qui litem vel lites, in alterius, vel suum, vel in commune  
emolumen mandato domini administrat.*

Procurator litis.) Hunc Paulus Procuratorem ad actionem factum no-  
minat l. 13. D. de procur.

116. *Rei aliena Procurator est administrator ad mouendas re-  
pellendasq; actiones, vel lites persequendas mandato domini  
constitutus.*

l. 1. D. de procur.

117. *Procurator in rem suam est, qui alieno quidem mandato, sed tamen suam literam agit: & cessas ac mandatas sibi actiones in proprium emolumenatum exercet.*

1. 2. in fi. D. Famil. hercisc. l. 24. Quodsi. D. de minor: l. 1. §. in propria D.  
Quando appell.

## DE REBUS QVAE IN IUDICIVM DEDVCVNTVR.

### CAPVT VIII.

118. *Iudiciorum materia circa quam versantur, sunt negotia & controversiae, quæ cause vocantur. Nam omnis res posita in disceptatione & controversia causa dicitur.*

toto tit. C. Si in com. eadem q; causa in integr. rest. toto tit. C. In quib. caus. milites fori præscr. toto tit. C. Vbj causa fisci.

119. *Et vel agitur in iudiciis de muneribus & honoribus, aut de re pecuniaria, aut de existimatione, aut de capitali criminis.*

1. 5. cognitionum. D. de Extraord. cogn. Cie pro Cecin.

120. *Semper autem quilibet rem suam tantum, sibiue debitam, non alienam in iudicium deducere debet.*

§. 1. Inst. de Act. l. nihil. 51. D. de oblig. & act. Hinc si plures sint hæredes unius creditoris, non potest unus hæres totam causam in iudicium deducere. Quia quilibet id tantum in iudicium deducere potest, quod sibi debetur. Si petitor. 31. D. h. tit. Alterius causam in ipsius præiudicium tractare non potest d. l. si petitor. & l. Sæpe. 63. D. de rejud.

121. *Et licet quod nondum debetur, in iudicium non veniat: tamen ex iusta causa ad interponendam cautionem agi potest, die vel conditione adhuc pendente, si scilicet periculum sit, ne debitor soluendo esse desinat.*

1. In omnibus. 41. D. h. tit. Alioqui mittetur creditor in possessionem bonorum eius l. Inter omnes 12. D. Qui sat isd. cog. l. pro socio arbiter. 38. D. pro soc. l. Si creditores 31. vers. quodsi. D. Quib. ex ea, in possess. ea. Et hoc quoq; locum habet, et si debitum purum quidem sit: at hypotheca in diem vel sub conditione sit constituta l. grege. 13. §. 1. D. de pign.

122. *Imò id venit in iudicium, non simpliciter de quo actum est, ut veniret: sed id non venit, de quo nominatim est actum, ne veniret.*

1. Solemus. 61 in pt. D. de jud. Exempla sunt in actione tutelæ, in actione

ægot. gest. & similibus judicijs quæ sunt generalia vel universalia l. pro  
socio. 38. D. Pro soc. In hæc enim judicia veniunt, quæ nominatim non  
sunt excepta, vel de quibus specialiter nihil est inter litigantes actum, nè ve-  
nirent, non de quibus in specie inter contrahentes actum est, ut venirent,  
huc pertinet l. 2. C. h. tit.

## DE PROCESSV IUDICIARIO IVRIS ANTIQVI.

### CAPVT IX.

123. Olim qui rem suam vel sibi debitam persequi voluit, Ad-  
uersarium ante omnia in Ius vocauit.

l. 1. D. de in jus voc. & toto tit. D. In jus voc. ut eant.

124. Die adueniente si non comparuit Reus, vadimonium des-  
sernissedicebatur, cuius pæna fuit bonorum possessio. Prius autem ad  
Rei domum facta fuit denunciatio: ex quo necesse fuit  
omnes Creditores in unum conuenire, & à Prætore latitantis  
possessionem petere: quo facto, Prætor interposuit primum de-  
cretum, cuius vi creditores latitantis bona triginta dies posse-  
derunt.

l. 2. & l. Fulcinius. 7. D. Ex quib. ca. in poss. ea. l. 19. D. de in jus voc. l. 4.  
§. Prætor ait, cum §. seq. D. de dam. inf. l. 5. §. i. D. quod vi aut clam. arg.  
l. Pen. C. de bon. autho. Iud. possid. not. Cic. in Orat. pro Quintio.

125. Post triginta dies Creditores iterum à Prætore postula-  
runt, ut ex suo numero Magister vel Curator bonorum con-  
stitueretur, qui rebus asseruandis, veletiam vendendis præf-  
set: ac tum fixis publicè libellis, auctionis proscriptio siebat,  
quod eum Prætor concedebat, secundum decretum interponere  
dicebatur.

toto tit. D. de cur. bon. dan. not. Hotom. l. 13. properandum §. solemus.  
C. h. tit.

126. Aliquando post, scilicet eo tempore, quod Prætor causa  
cognita præstituerat, claps: Tertium decretum interponeba-  
tur, cùm scilicet potentibus Creditoribus Prætor auctionem fa-  
eri permittebat: ac tum Lex vendundis bonis promulgabatur.  
d. l. pen. & ult. C. de bon. auth. Iud. poss. not. Hotom. d. §. solemus.

127. Ceterum si Reus in Ius præstituto die venit, tum Actor

eum ad album Praetoris deduxit, & ei Actionem, qua usurus  
esset, edidit.

1.1. §. 1. D. de Eden.

128. Quo facto Actor à Prætore repetiſt, ut ſibi Reum vadari li-  
ceret. Concepto per Iurisconsultos vadimonio, & Sponsoribus  
acceptis, è iure diſcedebatur.

not. Carol. Sigon. lib. 1. de Iudic. c. 20.

129. Praeſcripto die, qui plerung, perendinus erat, ſi Reus ab-  
fuit, nec vadimonium obiuit, commiſſa fuſt ſtipulatio: tam ad-  
versus Reum principalem, quam eius fideiuſſores.

1. ult. D. de prætor. ſtip.

130. Sin autem uterq, adfuit, tum ſe ſtitife dicebantur, &  
Reus primo loco ita egiſt: Vbi tu es qui me vadatus es? ubi  
tu es qui me citasti? ecce ego me tibi ſiſto: tu contrà te  
mihiſiſte: quid aii?

Hoc conſtat ex Plauto in Cyrcul. ubi ait, Vbi tu es qui me co vadatus &c.

131. Respondit Actor in actione personali: Ajo te mihi de-  
positi nomine centum aureos dare oportere. At in actio-  
ne reali respondit: Fundus, qui eſt in agro Sabino, meus  
eſt, eum ego ex iure Quiritum meum eſſe ajo: inde ibi  
ego te jure manu conſertum voco.

Sigon. d. lib. c. 21. Gellius lib. 20. c. 9.

132. Reus econtrà vel affenſit: aut tacuit: vel contradixit. Si  
affenſit vel tacuit, tum Prætor poſtulanti poſſeſſionē rei uſq, ad  
litis exitum addixit. Sin autē cotradixit, tum in actione perso-  
nali ita intulit: Nego me tibi depositi nomine centum  
aureos dare oportere. At in reali actione dixit: vnde tu me  
ex jure manu coſertum vocasti: inde te ibi ego reuoco.

133. Actione ita proposita litigantes litem confeſtabantur, &  
Index teſtibus aliquot preſentibus, per narrationem negotij, &  
reſpoſitionem cauſam audire cœpit.

not Cuiac. lib. obſ. 9, c. 21. l. 1. C. de litif. l. Rem noa novam 12. §. patro-  
ni. C. h. tit.

134. His omnibus perfectis Actor à Prætore formulam & In-  
dicem poſtulauit, qui cauſa cognita, & reutring, perorata, ſen-  
tentiam diceret.

135. *Prætor forte Iudicem elegit, & si sortitum Litigatores  
reijcerent, subsortitus est alium, donec utrig. parti placuisset.*  
not. Ascon. Pedianus. 2. &c 3. Verr.

136. *Electo & confirmato Iudice, Prætor iudicium Litigato-  
ribus dictauit, & formulam intentionis ad formulam iudicij  
conformauit. Constituit autem iudicium vel pure, vel coniuncte.*

137. *Pure, si Reus nihil attulit, quod ad suā defensionem per-  
tineret, sed simpliciter Actoris intentionem negaret, veluti in  
actione in personam: Caius Aquilius Iudex esto. Si paret  
Titium Mævio centum aureos depositi nomine dare  
oportere, condemnna eum Iudex.*

138. *At coniuncte iudicium constituit, cum quid ad defen-  
sionem rei: vel ad actionis firmamentum, à Reo fuit allatum,  
ut in actione in personam: Caius Aquilius Iudex esto. Si  
paret Titium Mævio centum aureos depositi nomine  
dare oportere, extrā quam si iam restituti sint, con-  
demna eum Iudex.*

Ait Hotom. in partit. Elem. tit. de Interdict. & not. idem tit. de Except  
Exempli causa, in actione in personam, si actorita egit *aiō te mīhi depositi*  
*nomine centum aureos dare oportere*: Reus contra responderit, *nego me*  
*tibi depositi nomine centū aureos dare oportere, nīsi quod ea īā restituerim.*  
Hic Prætor coniuncte constituit judicinm, hoc est. non dedit formulam pu-  
re, sed cum exceptione, hoc modo: *Caius Aquilius Iudex esto: si paret Ti-*  
*titium Mævio centum aureos depositi nomine dare oportere, extrā quam si*  
*iam restituti sint, condemnna eum Iudex.*

139. *Posthac si alter è Litigatoribus ad Iudicem datum non  
veniret, sed litem coram Prætore contestatam desereret, tum  
alter à Prætore Edictū postulauit, quo absenti denunciaretur,  
ut ad diem decimum adesset. Quod si ea die non adfuit, tum al-  
terum Edictum postulauit, & simul condemnationem in ex-  
pensas. Et si nec ea die adfuit, postulauit tertium Edictum, &  
simul refusionem sumptuum.*

I. Ad peremptorium. 68. cum l. seq. D. de jud.

140. *His tribus propositis interdum quartū & peremptorium  
impetravit*

impetravit, quod inde appellatum fuit, qui aperimit disceptationem, nec ultrà aduersarium tergiuersari patitur.

l. Et tertium 70. D. d. tit.

141. Et hac Edicta prope finem triennij à litis contestatione currentis interposita fuerunt.

l. properandum. §. Etsi quidem C. h. tit.

142. Quod si autem die constituta ut ergo Litigator corā Iudice comparuit, & formam à Prætore impetratam illio obtulit: tum rursus Actor suam actionem proposuit, nempe: AIO Mæuium centum aureos depositi nomine mihi dare oportere.

143. Hanc ubi Reus negauit, Iudex actori iniunxit, ut intentionem suam probaret: quod plerungz fecit tabulis, testibus, vel iure iurando.

144. Non autem potuit in strictis iudicij à formula recedere, adeò ut si formula nulla inserta esset exceptio, ipse nullam admittere posset: sed simpliciter factum examinavit, verène, an contrà, id Prætori relatum esset.

145. Quod si deprehendit omnia vera, tum non cognouit de Iure: sed tantum secundum id, quod à Prætore impetratū fuit, iudicauit: nisi forte post litem contestatam aliquid accidisset.

Ethoc est, quod Vlp. ait, Iudici statim atq; Iudex factus est omnium rerum incumbit officium, quæcunq; in judicio versantur. Ea autem quæ antè judicium contingunt, non valde ad eum pertinent, nisi fuerint ei nominatim iniuncta. AEdiles, 25 §. Item sciendum. D. de AE dilig. edic.

146. Quod si verò Iudex deprehendit Prætorem à Litigatoriis bus falso edocutum, cessauit eius cognitio, & Prætor de nouo appellari debuit.

Et hoc est, quod Paulus ait, Non potest videri in Iudicium venisse id, quod post acceptum judicium accidit: ideoq; alia interpellatione opus est l. non potest, 23. D. h. tit.

147. Econtrà verò Iudex in bona fidei iudicij non fuit simpliciter adstrictus ad formulam: sed plenior iudicandi potestas ex equo & bono illi fuit permissa.

Nam sive formula Prætoris coniunctam habuit Exceptionem, sive non habuit, ipse nihilominus ex æquo & bono eam admittere, & planè ex æquo & bono judicare potuit §. in bona fidei. ubi not. Inst. de Act.

148. — *Probationibus auditis, & causa plenè cognita, Index sententiam ferre debuit.*

Nam ut Marcellus ait, Vbi acceptum est semel Iudicium, ibi & finem accipere debet l. 30. D. h. tit. Et ut Julianus ait, de qua re cognoverit Iudex, pronunciare quoq; cogendus erit l. de qua re. 74. D. d. tit. Quia alioqui datio Iudicis nihil processet, si aliis causam cognoscere, aliis sententiam ferre deberet, qua in re malè sentit Sigan. lib. 2. de antiqu. Iu. civ. Ro: ubi afferit, Iudicem quidem datum sententiam ferre: at Prætorem eam pronunciare.

149. — *Et quidem si causa fuit liquida, Reum vel absolvit, vel condemnavit. Si aliquid imperfetum vel iniustè in Iudicium deductum fuit, amplius, pronuncianit: quod scilicet causa amplius esset examinanda.*

150. — *Si vero de causa non constitit, vel si et animis fuit perplexa non liquet, pronuncianit.*

151. — *Sententia absolutoria vel condemnatoria lata, Index esse desit.*

Quia jam munere sibi à Prætore demandato fuerat defunctus, & propterea sententiam suam vel corrigeret, vel mutare, vel exequi non potuit l. Iudex. 55. D. de re jud. Vnde Cic. orat. 3. in Ver. criminose illi obiicit, quod sua subinde decreta mutavit.

152. — *Ab hac sententia vel prouocabatur: vel si pars victa acquieuit, ad eius executionē perueniebatur, qua facta, sententia retractari non potuit. Ante tamen executionem Iure 12. tabb. tringinta in nisi dies fuerunt Reo concessi, ut interea condemnationi satisfacere posset.*

l. post rem 56. D. de re jud.

153. — *Executionē facta fuit eius autoritate, qui Iudicem dedit. Is deinde Executores constituit, qui Reo iterum in Ius vocato, an esset iudicatum cognoverunt.*

l. à divo Pio. 13. in pr. D. de re jud l. Item veniunt 20. §. Idem recte ait D. de petit. her.

154. — *Hoc cognito Reum coegerunt, ut sententię pareret: nem pessi Reus condemnatus fuit rem restituere, manu militari eam auferre potuerunt: at si condemnatus fuit pecuniam soluere, pignoribus captis & distractis eum compulerunt.*

l. 68. qui restituere. D. de re vind. d. l. A divo Pio.

DE

# DE PROCESSV IUDICIARIO IURIS NOVI IUSTINIANEI.

## CAPVT X.

155. Seculo iustiniani Reus ante omnia in Ius vocari debuit: vocatus autem fuit Reus per Executorem, libello, qui dicebatur conuentionis Graecè Βιβλίον. Et Executor alium libellum habuit, qui dicebatur ἀντιβιβλίον, cui Reus subscripsit, se scire licet libellum conuentionis, sine eius exemplum, hoc vel illo die accepisse.

Nam ut ipse ait, omnium instituendarum Actionum principium ab ea parte Edicti proficitur, qua Prætor edicit, dein ius voc. §. Omnium. Inst. de pœn. tem. litig. Novel. 53.

156. Præterea Reus statim atque libellum accepit, cautionem personalem iudicio sibi prestitam, & ipsi Executori portulas soluit pro conuentione.

157. Hoc factō, Reus viginti dies deliberare potuit, cedere ne, an contendere, & an Iudicem, ad quem vocatus erat, recusare vellet, an verò petere, ut ei collega suus adiungeretur.  
d. novel. 53.

158. Recusatio siebat per libellum Iudici porrectum, vel Iudice absente apud acta Presidis, vel defensorum, vel Duum virorum, apud quos causa libello inserta declarari & plerumq; comprobari debuit.

l. ult. C. h. tit.

159. Potuit etiam ante vigesimum diem Iudex tanquam suspicitus recusari, vel ei collega adiungi: post vigesimum diem item contestatam non item.

I Apertissimi 14. C. h. tit. quia qui litem apud Iudicem contestatur, tamen causis recusationum quas in eum adserre poruit, renunciare intelligitur not. Cuiac. lib. obs. 9. c. 23. in pr. Nec his derogat Novel. 113. que Collegam rescripto principis adiungi dicit, secundum leges. quia id nihil aliud est, quam antē litem contestatam. quod d. l. Apertissimi, antē constitutum fuit.

160. Recusato Iudice intra triduum, per eundem Executorem litis partes alium Iudicem eligere debuerunt, qui nullo amplius modo recusari potuit.

d. l. Apertissimi. not. Cuiac. d. c. 23.

161 Planè si is, qui iurauit iudicio, sibi contra fidem Iurisius randi latitanuit, ante litem contestatam requisitus, & manu injecta ductus fuit iussu Magistratus.

Et hoc est, quod Imp. Iustin. ait, in l. sancimus 13. in fi. C. h.

162. Quod si non fuit inuentus, dies certus illi fuit præstitutus, intra quem si non comparuit Index ordinarius summatim de causa cognovit, & nisi evidens calumnia adfuit, Actorem in Rei bona immisit.

I. pen. C. de dignit. per quam immissionem jus pignoris Prætorij constitutum fuit, pro modo debiti. Reus autem si integris omnibus, h. e. bonis nondum venditis, è latibilis emersit, bona sua ea conditione recepit, si omnia damna Actori restituerit d.l. Sancimus. C. h.

163. Sin ut ergo tam Actor quam Reus coram Iudice comparuit tum Actor suam actionem proposuit, ad quam respondit Reus, ex quo lis contestata fuit.

I. i. C. de Litis cont.

164. Quod si lite contestata alter è Litigatoribus amplius non comparuit, tribus Edictis fuit euocatus: inter quæ singula dies trigesima intercesserunt: quibus omnibus præteritis, integer adhuc annus expectari debuit: ad cuius finem causa definita fuit, siue absens venit, siue non venit.

Novel. Iustin. 112.

165. Ut ergo vero Litigatore presente, iuramentum calumniæ fuit præstitum: quo tacit is sacro sanctis Euangelijs Actor iurauit, se non calumniandi animo litem mouisse. Reus iurauit, se non calumniandi causa inficias ire, vel Actori reluctari. Ut ergo iurauit, se differendi negoti causa probationes ab Adversario minimè petitur: nihilq. se iudicibus aliisue personis patrocinijs causa dedisse, præterquam honoraria Aduocatis, & sportulas Executoribus.

I. 3. C. de jure iur. prop. cal. Et Novel. 49. Novel. 124.

166. Præterea Actor initio litis cauit, nisi viciisset, Reo decisam præstitum iri: qua cautio iure veteri fuit re promissio: alias satisfactio vel iuratoria cautio dicitur.

Cuiac. lib. 7. obs. c. 5. Novel. 112. Excepti fuerunt Argentarij, quibus agentibus,

agentibus, sufficit nuda decimæ partis remissio. not. Cuiac. d. c. 5. Excepta quoq; fuerunt lites, quæ utriusq; partis consensu fuerunt motæ, in his enim huic cautioni non fuit locus d. novel. 112.

167. Quod si causa per alios in iudicio fuit tractata, tum Procurator, si de mandato Actoris non constituit: cauit de rato: si de mandato constituit, non item. At defensor Rei absentis satisdationem indicatum solui præsttit.

1.1. C. de procur. l. Si procuratorem 56. D. de procur. l. 1. C. de Satisd. l. Qui proprio. 46. §. qui alium D. de Procur.

168. Lite contestata & iuramentis præstitis, Index Actori confirmationem sue actionis iniunxit: quæ si non fuit probata, Reus, et si nihil præsttit, fuit absolutus.

1.2. C. de probat. l. qui accusare 4. C. de Eden. l. ult. C. de rei vind.

169. Ut autem Actor probationes melius instruere posset, prælatura Indice instrumentorum, aut personarum exhibendarum gratia, dilationem petit: quæ non amplius quam semel data fuit ad summum bis, idq; ex magna causa.

1.2. C. de dilat. l. Argentarium 45. in pr. D. h. tit. l. 7. & l. ult. D. de fer. l. 1. in f. C. de dilat.

170. Dilationis termino elapsa, Actor intentionem suam vel legitimè vel illegitimè probauit.

171. Legitima factæ sunt probationes præcipue per instrumenta & personas, item per argumenta, signa & indicia: at illegitimæ factæ sunt probationes per testationes, annotationes & expensilations priuatas.

l. Emancipatione. II. & toto tit. C. de fide instr. l. 1. C. de dilat. toto tit. C. de testib. l. ad probationem 21. de probat. l. Si defunctus. 10. C. Arbitr. tut. l. Indicia 19. C. de rei vind. l. 5. & l. Exemplo. 7. C. de probat.

172. Nec iusurandum per se fuit legitimæ probationis genus, sed tantum infirma & illegitimæ probationis adminiculum.

173. Probationibus & allegationibus ex utraq; parte cessantibus Index ut rei qualitatem plena inquisitione discuteret, utranging partem sepius interrogauit, nunquid adhuc aliquid addere vellent.

l. Iudices 9. C. h. tit.

174. Tunc si unus Litigitorum allegationibus renunciauit:

alter vero renunciare noluit, sed moratus & frustratus fuit  
diffidentia causa: Index spatiū ei dedit trium mensū ad  
proferendas reliquas allegationes & probationes: post tres men-  
ses perinde ac si renunciasset, relatio facta, vel sententia lata  
fuit.

Novel. 115.

175. In rebus quidem dubijs & obscuris plerumq; Index to-  
tam, causam ad superiores Magistratus retulit, qua potestas  
illi concessa fuit a Iustiniano: sed postea ab eodem constitutum,  
ne Index ullo modo Principem vel superiores Magistratus con-  
sulere posset.

Novel. 82. & Novel. 113. no. 128.

176. Sin ad maiorem potestatem causam non retulit, senten-  
tia interponi debuit, seruato iudiciorum ordine.

d. I. Iudices 9 C. h. I. 4. prolatam. C. de sent. & interloc. om. jud.

177. Ordo iste iudicorum fuit, ut sententia ferretur loco pu-  
blico: ex legibus, non exemplis: & ut in eum fieret condemna-  
tio, in quem lus contestata fuit, in Procuratorem scilicet vel do-  
minum.

I. 6. cum sententiam l. Nemo 13. & l. 1. C. d. tit.

178. Et haec sententia continuit condemnationem vel absolu-  
tionem certam: fuitq; lata in scriptis, non dicta, sed ex periculo  
lecta.

I. 7. l. 9. C. d. tit. toto tit. C de sent. ex peric. recit. l. ult. C. Commina-  
tiones Epistolas &c.

179. Recitatam autem semel ex scriptis sententiam Index  
neḡ corrigere neḡ mutare potuit. Quain re sententia differt  
ab interlocutione, qua corrigi & mutari potest.

I. 2. C. de sent. ex peric. recit. l. 14. D. dere jud.

180. Quod si Index per errorem & imprudentiam male iudi-  
cauit, sententia quidem subsistit: at ipse perinde pro religione  
iudicantis condemnatus fuit, ac si lis contra eum directa fuisse.  
l. ult. D. de Extraord. cog.

181. Sin autem per ambitionem & gratiam male iudicauit,  
etiam sententia valuit: at ipse ultra estimationem litis adhuc  
infamia fuit notatus.

l. siliusfa. 15. infi. D. h. tit. l. 2. de pœna Iud. qui malè jud.

182. Sin deniq; pecunia corruptus malè iudicauit, sententia ipso Iure corruuit, & Index estimationem litis præstit ei, quem damno affectit. Is autem, qui fecit ut Index malè iudicaret, causa cecidit.

l. venales 7. C. Quando provoc. non est necesse. d. l. 2. & l. 1. C. d. tit, de pœn. Iud. l. 1. §. pe. D. de calum.

183. Ceterum lata sententia, vel elapsō pronocationis tempore, in rem iudicatam transiit, vel per appellationem & relationem fuit suspensa.

toto tit. C. de re jud.

184. In rem iudicatam si transiit, non potuit de ea ex parte aliqua litigantium rursus agi, propter exceptionem rei iudicatae, ut finis litium esset. Itaq; res iudicata ad effectum deduci debuit.

l. 2. & toto tit. C. de re jud. toto tit. C. de Execut. rei jud.

185. Executio facta fuit per officium seu apparationem datum à Magistraturei iudicat.e Nectamen statim facta fuit, sed post constitutum tempus, nempe post triginta dies, qui iusti fuerunt dicti.

l. 2 C. Si in causa jud. l. ult. C. de Execut. rei jud. Cuiac. in paratit. C. d. tit.

186. Post tempus iudicati soluendi, si damnatus soluere cessavit, ex mora pecunia in condemnationem deductæ debuit usurras centesimas.

toto tit. C. de usur. rei jud.

187. Ipsa verò executio facta fuit captis pignoribus per officium Iudicis, & à capione distractis publicè sub hasta post duos menses: Emptore non reperto fortè ex cōpacto siue ambitione, ex calliditate, gratia & amicorum copia, pignora fuerunt ei addicta secundum quem iudicatum fuit.

l. 3 C. de execut. rei jud. l. debtoribus. 31. D. de re jud. l. 3. C. Si in causa jud.

188. Planè si alter ex Litigatoribus sententiæ late non acquiescit, tum res à minore iudicio ad maius appellatione fuit translata.

Novel. 23. & 32.

189. Verum

189. Verum ex quo sciuit quis se condemnatum, appellationis causam inducere debuit intra sex menses ex prouincia longinqua, intra tres ex contigua. si scilicet à Iudice appellauit at si appellauit ab Arbitro delegato à Iudice, intra duos menses.

d. l. ult. & l. 2. C. de appellat.

190. Post lapsum sex aut trium aut duorum mensium Appellator adhuc habuit unum mensem ad instituendam & persequendam appellationem interpositam, & post hunc secundum lapsum, habuit etiam alterum mensem, & post tertium lapsum, & quæ alterum mensem: post quartum vero lapsum, si à Iudice, non si ab Arbitro delegato appellauit, potuit extra ordinem à Principe ex aula impetrare reparationem trium mensium, quam aduersario plerumq; in foro praefecti Praetorio denunciauit.

d. l. ult. C. de appellat.

191. Post hunc quartū lapsū, causa appellationis planè evanuit, & sententia à qua fuit appellatum conualuit, nec auditus fuit, quia causam prolapsam in iudicium voluit reducere, sed primo loco, hoc est, initio statim litis, prescriptione peremptoria fuit repulsus. Quod tamen non obtinuit in causa ad Principis consistoriorum delata.

l. 2. infi. C. de appellat. d. novel. 23.

192. Potuit autem appellationis causa introduci etiam uovo = meq;. At siue uovo = meq; siue cognitionaliter utraq; parte praesente inchoata fuit, peragi debuit intra annum: vel si per Iudicem stetit, intra biennium. Alioqui quasi deserta appellatione prior sententia ipso Iure fuit confirmata.

d. l. ult. § Illud. C. d. tit. de appellat.

193. Tutijs tamen fuit, si cessante appellatione, appellatus prope finem biennij de deserta appellatione conquassus fuit, & à Iudice, ad quem appellatum est, rem iudicari postulauit.

Novel. 49.

194. Index vel pro presente, vel etiam pro absente, si bonam causam habuit, sententiam tulit, prout in Eremoditij sieri solet.

l. properandum C. h. tit. de Iudic. l. Et post edictum. D. cod. Eremoditium

ditum enim est, sive quis apud priorem Iudicem, sive apud Iudicem appellationis, causam inceptam deserat.

195. *Quod si fortè priore iudicio vicitus, iam dum absuit, vicitor euadit, presenti aduersario sumptus litis reddere debuit.*

d. i. Properandum. §. Si autem.

196. *Vnus fuit casus, quo præscriptio biennij appellatoris nihil profuit, si scilicet biennium lapsum fuit, interea dum de transactione vel compositione litis ageretur.*

Novel. 93.

197. *Porrò si quis secundo succubuit, non potuit tertio appellare.*

toto tit. C. Ne lic. in una. At si Praefectus urbi Iudicem dedit, qui ex appellatione cognovit, et si ab eius sententia non appellari, is tamen antea litem contestatam recusari potuit, invocato Praefecto qui cum dedit. l. ul. C. de sent. & interloc. om. Iud.

## DE PROCESSV IV DICIARIO IV RIS NOVISSIMI: VS V Q VE HODIE in camera Imperiali recepti: Et primum de citatione.

### C A P V T X I.

198. *Nostrum seculo ex constitutione Diuorum Caroli & Ferdinandi Imperatorum iudicij ordo in undecim terminos est distributus, in causis prime, ut vocant, instantia.*

199. *Ante omnia pro citatione supplex offertur libellus: mox citatio decernitur: & citato terminus ad comparendum præscribitur.*

200. *Citatio enim principium instituendarum actionum est: & in eam nomen & cognomen citantis accitandi, sicut & causa, ob quam quis citatur, & locus Iudicij seu tribunal, nec non dies ac terminus comparendi, exprimi debent.*

Citatio est in jus vocatio: Atque omnium actionum instituendarum principium ab in jus vocando oritur: in primis enim adversarius in jus vocandus est. §. omnium pe. Inst. de poen. tem. litig. Vide Andr. Geyl, pract.

obs. lib. i. obs. 48; no. 1. & 5. & obs. 49. 50. 51. 52. 53. Mynsing cent. 3.  
obs. 85.

201. Negat peccat quisquis libellum unde cum citatione transmittit, vel citationi inseri curat, ut Reus instructus compareat.  
Andr. Geyl, lib. i. obs. 51. no. 2. infi. & no. 3.

202. Et citari solent partes ad totam causam, & ad omnes singulos actus eiusdem cause, usq; ad sententiam diffinitiuam inclusuè, cum comminatione, quod aduersus citatos contumacia non obstante procedetur ad cognitionem & pronuntiationem.

Mynsing, cent. 4. obs. 33.

203. In omni deniq; citatione, cuiuscunq; sit generis, tria extrema desiderantur: unum ex parte Iudicis, qualis est cōmissio de citando: & duo ex parte nunci, nempe ipsa citatio seu Executio cōmissionis, & relatio citationis facta: Ex quibus unum si deficiat, citatio non valet.

Mynsing, cent. 1. obs. 77.

204. Citatio alia simplex est, que citatum non prius contumacem reddit, quam tertio facta sit: alia peremptoria, que simplices citationes ita permit, ut eum, qui in Ius vocatus est, sedie praesinit, non venerit, contumacem constituat.

I. Ad peremptorium: 68. & ll. seqq. 69-70. 71. 72. & 73. D. h. tit. De jud. Bernhard. VVurmser. in pract. obser. lib. i. tit. de in jus voc. seu Citatione. cap. 4. ubi de Contumace & eius poena, & cap. 3. circa fin. Vbi docet quād tres praecepsē requirantur citat. ad hoc ut aliquis peremptoriē dicatur citatus. Et cap. 10. Vbi interdum ex benignitate Iudicis s. fiunt citationes.

205. Prescripto termino adueniente Actor comparet, praemissaque protestatione de non consentiendo in Iurisdictionem, nisi quatenus & in quantum de Iure tenetur, edit exemplum recognitum citationis vel mandati a se impetrati: deinde insinuationem citationis retroscriptam, aut seorsim per legitimū Viatorē testatam, & actionem libello comprehensam.

Andr. Geyl, lib. i obs. 48. no. 16. & lib. i. obs. 79. no. 1. Vbi nouissima ex constitutione Imperij, anno 70. Spiræ in Comitijs edita, introductum est. ut Actor omnis vel appellans teneatur libellum suum, sive gravamina sua articulatim conscribere, & in primo termino exhibere: Id si fecerit, viam articulandisibi postea preclusam esse.

DE

# DE LIBELLIS.

## CAPVT XII.

206. Libellus hic nihil aliud est, quam breuis & aperta verborum conceptio in scriptis, actionem & futuræ litis speciem complectens.

l. 2. §. per contrarium. C. de vet. ju. encl. Novel. 53. §. Sancimus. l. 3  
C. de eden.

207. In hoc libello requiruntur quinq;: Nomen Iudicis, nomina Litigatorum, facti species siue narratio, causa petendi & conclusio.

Quæ his versibus continentur. Quis, quid, coram quo, quo Iure petatur, & à quo: Rechè compositus quisq; libellus habet.

208. Et haec omnia vel in modum Syllogismi, vel in modum Enthymematis proponuntur. Si in modum Syllogismi, tum ante propositiones ponitur Exordium, quod continet nomen Iudicis, nomen Actoris et nomen Rei.

Hodiè melius est, usitata veteribus Iurisconsultis Exordia retinere, nec in ijs modum adhibere: quia Iurisconsultus procul esse debet ab omni calunnia, & ab omnibus affectibus, non debet in iram vel invidiam, vel misericordiam Iudicem concitat: né his affectibus corruptus, ab æquo & bono deflectat. *nomen Iudicis*) Nam coram hoc Actio institui debet: quia nemo sibi *χειρῶν νόμον* Ius dicere potest l. 15. D. quod met. causa. *nomen Actoris* Hic distinguendum est: Aut quis perse, aut per alium agit. Primo casu non necesse est Actoris nomen in libello exprimere, ex sententia Baldil. 3. C. de Eden. quia Actor semper est certus, & is intelligitur, qui suo nomine libellū proponit. At secundo casu debet exprimi, ut nimis Reus sciat, cuius nomine conveniatur: & ut sciat, quid sibi de satisfactionibus sit faciendum l. 40. §. ratihabitionis cum § seq. D. de proœut. l. exigendi. 12. C. d. tit. arg. l. 3, D. de his quæ in test. del. l. 3. D. de public. Iud. *nomen Rei*) Et hic vel est certus vel est incertus. Si est certus, tum quam potest, optimè designari debet l. de uno quoq; 47. D. de re jud. Necessariò tamen principales tantum Rei exprimuntur, alij non item l. si suspecta, 29. in pr. D. de in offic. test. Vnde vulgo poni solet: Titius agit contra Sempronium & consortes. Quod si agitur adversus incertum reum, tum non opus est quempiam nominare: sed libellus subsilit, si tantum facti species, & alia commodè proponantur, sed si pupilli i. § proscire, D. de Instit. act. Quod si contra universitatem agatur: non opus est singulorum ciuium nomina exprimere: sed sufficit Magistratum officia designare, & contra Syndicum ciuitatis experiri l. ult. §. Defensores. D. de mun. & hon. toto tit. D. Quod cuiuscunq; universit. nomine.

209. Exordio absoluto, peruenitur ad ipsius sillogismi, quo actio continetur, partes, hoc est, ad ipsas propositiones: maiorem, minorem, et conclusionem: Maior propositio causam petendi, Minor facti speciem, & conclusio petitionem continet.

Causa petendi ex Iure desumitur. Et est quasi sedes & fundamentum libelli: Est in quam medium concludendi: quia bis ante conclusionem ponitur, nec eam ingreditur. Minor propositio narrationem continet. Narratio autem casum expónit, qui pro varietate causarum varius est. Et hæc Narratio debet esse brevis & dilucida, verisimilis seu probabilis.

Conclusio tandem ostendit, quid Actor à Reo conuento petat. Hæc enim ex recepta fori cōsuerudine petitionem continet: quæ tam ad Reum, quam ad Iudicem dirigi debet.

210. Hæc tamen propositionum συζυγία καὶ συμπλοκή non semper strictè obseruatur: sed maior & minor propositio sèpè inuertitur, ut maior minoris, & minor maioris locum occupet. Imò hodie plerunḡ primo loco ponitur facti narratio, deinde causa petendi, & tertio conclusio.

Et hæc conclusio non sequitur ex præmissis, non causam ad subiectum conclusionis applicat: sed in petitionem convertitur: & cum ex norma Dialectica, directò concludi debeat, Oratio ad Iudicem dirigitur, & ab eo aliquid petitur.

211. Quod si libellus in forma Enthymematis concipitur, tū in illius principio & conclusione, eadem quæ in superioris libelli Exordio & conclusione obseruari solent, nec quicquam hic est singulare. Hoc tantum hic libellus peculiare habet, quod post exordium semper facti narrationem proponit, nec ante narrationem causam petendi exprimit.

Hodiè in Iudicij plerunq; Enthymemata proponuntur. At ipse Advocato considerandum didici: annè causa petendi nota sit, an controversa. Si nota est, potest omitti, & per consequens libellus in forma Enthymematis proponi: quia tum totius controversie certamen magis in narratione facti, quam in jure, seu causa petendi consistit. At si est controversa, satius est, ut ponatur, quemadmodum supra dictum: & libellus in formam Syllogismi redigatur.

212. Hic tamen libellus optimus est, qui post Exordium & antecedens & consequens, & simul petitionem continet.

Ita enim melius causæ scopus intelligi, melius causæ vitium deprehendi, & melius de causa judicari potest.

213. Sunt præterea cautela & obseruationes multæ aliae, quæ

in libellis partim post exordium, partim post narrationē facti, partim post conclusionem, seu petitionem collocantur: partim rursus in Exordio, partim in ipsis propositionibus, partim deo-  
nig, in petitione interveniunt: quae tamen omnia adesse & ab-  
esse possunt, citra libelli corruptionem.

De his omnibus, & quidquid in scribendis libellis requiritur: insignem tractatum conscripsit Iuris scientissimus & consultissimus D. Doctor Georgius Obrechtus, Codicis in inclita Academia Argentoratensi professor celeberrimus &c. quem in utilitatem studiosorum, fortè aliquando in lucem emittere.

214. Sicut autem in libello simplici seu summario: ita quoque in libello articulato nomen Iudicis, nomina litigatorum, & cauz-  
tela in Exordio eadem, & post Exordium apponuntur: immo in  
ipsis propositionibus & in ipsa petitione, eadem quae in libello  
simplici obseruantur.

Quid ergo ais, separatim de libello articulato seu positionali agis: cum  
ea quaejam dicta sunt, etiam huic convenienter? Iccircò hoc sit, quod ultra  
jam dicta in hoc libello quedam singulariter notantur. Nam in ipso Exor-  
dio alia quedam adhibentur, quam in libello simplici. Ipsæ vero proposi-  
tiones non simpliciter: sed per positiones seu articulos proponuntur.

215. Hoc tamen in Exordio sigillatim ab aduersario requiri-  
tur, ut ante omnia litem contestetur: deinde positionibus res-  
pondeat.

Ratio quarè utrumque petendum est: quia non per positiones: sed per peti-  
tionem in iure positam, si ad eam respondeatur, sit litis contestatio. cap. 1.  
de Litiscontest. Et sicut per solam actionis editionem, non sit litis contesta-  
tiō, i. C. de Litiscontest. Ita nec sola responsio litem contestatur: quia Li-  
tiscontestatio, non nisi petendo & negando sit. d. i. t. l. rem non novam 124.  
§. patroni C. h. tit de Iudic.

216. Post exordium in libello articulato etiam sequuntur pro-  
positiones, quae non simpliciter, sed per articulos proponuntur:  
qui articuli non debent esse multiplices, non impossibiles, non  
negativi, non captiosi, non facti alieni, non Iuris, non imperio-  
nentes, non obscuri.

Multiplices articuli sunt, si plures res complectuntur. Hodie ex aequitate  
tamen Adversarius ad articulum multiplicem respondere tenetur: & qui-  
dem per singulas partes, negando vel affirmando. Quia hac ratione varia  
calumniandi occasio praeditum est. Et periutij periculum evitatur. Vnde etiam  
hæc sententia in judicio Cameræ est recepta. not. Mynsing sing. ob. cent. 2.

obs. 55. Andr. Geyl distinguere, utrum positio seu articulus continent qualitatem, an quantitatem, quem vide Pract. obs. lib. 1. obs. 82. no. 8. 9. Articuli Impossibilis sunt, qui rem impossibilem continent. Hodiè etiam ad impossibilem articulum in Camera judicio adversarius tenetur respondere: quia sine perjurij metu respondere potest, not. Andr. Geyl. lib. 1. obs. 82. no. 5. Articuli negativi sunt, qui negando aliquid statuunt Atq; in Camera ad articulum negativum aperte responderi debet. Andr. Geyl. d. obs. 82. no. 5. Articuli alieni facti sunt, qui alienum factum, seu factum extranei & non respondentis continent. Etiam ad hunc in Camera respondere adversarius tenetur. d. obs. 82. no. 4. & 5. Articuli Iuris sunt, qui ex Iure consistunt. Quod si forte ex Iure non scripto, seu consuetudine articulus concipiatur: quia tunc in facto consistit, probari: & per consequens adversarius tali articulo respondere potest. Andr. Geyl. d. obs. no. 7. Captiosi articuli sunt, qui ita sunt scripti, ut sive eos neges, sive confitearis, semper tibi noctant. Atq; his articulis adversarius non tenetur respondere. De articulo tamen criminali, non est omnium eadem, sed diversa sententia. not. VVurmser. pract. obser. lib. 1. tit. de positionibus. obs. 3. Articuli obscuri sunt, qui obscurè rem proponunt: adeò ut quid articuli sibi velint constare nequeat. Et eiusmodi articuli tam a Judice, quam ab adversario rejici possunt. Obscuritas autem 3. præcipue modis committitur. Primus modus est, si Oratio mutatur, adeò ut unam rem alijs verbis bis dicat. Alter modus obscuritatis est, si articulus alternativè sit conceptus, vide Andr. Geyl. lib. 1. obs. 62. no. 8. Tertius modus est, si articulus est generalis, vel ita propositus, ut ad multa referri possit. not. Oldendorp. in tract. de form. libelli. & Andr. Geyl. lib. 1. obs. 69. Impertinentes deniq; articuli sunt, qui ad causam praesentem nihil faciunt: aut si prima fronte lacere videntur tamen ad jus relati, omni causent effectu. not. Domini. in cap. ult. de confessis lib. 6. Andr. Geyl. lib. 1. obs. 61. no. 4.

217. In Camera hodie omnes articuli admittuntur, & aduersarius tenetur ad omnes respondere, excepto Iuris articulo.

not. Andr. Geyl. lib. 1. obs. 82. no. 5. & 7. Ratio huius est, nè Litigatores, malitiosè lites protrahant. Debet tamen Iudex hac in re circum spēcte agere, nè quis præjudiciali aliquaque responsione gravetur. d. obs. 82. no. 6.

218. Quod si forma præscripta in libello non obseruatur vel si actor in eo plus re, tempore, loco, & causa petit, aut minus complectitur, aut aliud pro alio intendit, libellus vitiosus dicitur.

tractant communiter DD. in §. Si quis agens. Instit. de ast. & tit. C. de plus petit.

219. Hoc vitium corrigi & emendari potest ac debet per adiectionem, detractionem & mutationem, tempore & modo legitimo factam.

tractante

tractant DD. in d. §. Si quis agens. & §. Si minus. Inst. de Act. Et per pulchre explicuit Clariss: D. Doctor Georgius Obrechtus in d. tractatu.

220. Quod si aperta calumnia in libello deprehenditur, vel ex eo non concluditur ius agendi, vel ex eo constat Actori actionem non competere, libellus ineptus dicitur super quo sententia lata, ipso Iure, etiam parte non opponente, nulla est.

Andr. Geyl. lib. 1. obs. 66, no. 12.

221. Imo potest Index, quando libellus planè & evidenter in forma & materia ineptus est, per sententiam Reum ab observatione Iudicij absoluere, & Actorem in expensis condemnare, reseruato tamen ei Iure agendi ex alia causa apta.

Andr. Geyl d. lib. 1. obs. 67. no. 1. in pr.

222. Et si Index prima instantia super inepto libello sententiam tulit, Index appellationis, non super meritis, sed nullitate necessariò pronunciare debet.

Andr. Geyl d. lib. 1. obs. 67. no. 4.

223. Possunt etiam in eodem libello, unius vel plurium rerum nomine, contra unum vel plures, aliquot actiones, ex una vel pluribus ex causis descendentes ritè coniungi, modo actiones copulatae simul subsistant, nec ullaratione rejici possint.

Vide disputationem de concursu & cumulatione Actionum. Excellissimi Iurisconsulti D. Georgij Obrechti, quam me respondentem, publicè in Acad. Argent. instituit: & Typis mandavit. Anno 1585.

224. Sin autem per procuratorem legitimum quis in Iudicio compareat, tum procurator vel habet mandatum idoneum, quod vulgo procuratorum nominant, non quidem ad unicum actum, sed ad totam causam: vel caret idoneo & sufficienti mandato, & ad cautionem de proferendo intra certum tempus mandato sese liti offerens admittitur.

non quidem ad unicum actum) Geyl. lib. 1. obs. 51. no. 11. Et in ordinat. Iudic. Cam. part. 3. tit. 12. §. So vil dann für das dritt die gewaltric. & §. Im fall aber das ein Procurator ic.

225. At Reus, si comparet, petit omnium ab Actore proditorum exempla, & tempus respondendi. Si alieno nomine defendit, exhibet instrumentum mandati si nullum adhuc habet, cauet se in progressu causa editurum, cum ratificatione actorum.

In ordinat: Cam: d. loco:

226. Et si forte Reus post oblatum libellum exceptiones declinatorias, dilatorias vel peremptorias in vim dilatoriарum opponere velit, eas in ordinarijs in duodecima & in extraordinarijs in sexta audiencia postquam libellus productus est, simul in scriptis articulatim opponere debet.

In ordinat: Iudic. Cam, tit. 24. de terminis Except.

## DE CONTUMACIA REI ET ACTORIS. CAPVT XIII.

227. Actore autem vel Reo contumaciter absente, nec in Iudicio comparente, semper praesens in causa principali potest procedere, & causam liquidare, adeo ut etiam Index teneatur diffinitiuе pronunciare, si de causa constet, non attenta partis contumacis absentia, Et hoc casu, si principalis causa diffiniatur, semper is qui contumaciter absuit, siue vincat, siue succumbat, condemnari debet in expensas ei, qui in Indicio praesens fuit.

Mynsing. centur. 4. obser. 67.

228. Imo potest Actor contra Reum contumacem tribus modis procedere, vel ad paenam banni, vel ad immisionem bonorum, vel in causa principali usq; ad diffinitiuam & decisionem cause. Et optio Actori datur, ut ex his tribus vijs, quam velit eligere possit.

Andr. Geyl. lib. 1. obser. 60. no. 1. &c.

229. Ceterum neg<sub>z</sub> Actore, neg<sub>z</sub> Reo comparente, si quidem secundo vel tertio die iuridico post effluxum terminum Actor compareat, & ad instantiam partis aduersa causes absentia alio alleget, audiendus & admittendus est, non secus ac si praeinitio tempore comparuisset. Sin vero prateritis tribus iuridicis nemo compareat, terminus pro circumducto habendus est, citatio enanebit.

In ordinat: Cam: tit. 12. parte. 3. Ex novissima constitutione Imperij. Anno 1866. §. Und als sich auch bis anher se.

230. Hoc tamen ad causas appellationum, ut pote in quibus  
circumductio locum non habet, minime extendi debet.

in ordinat. Cam. d. loco, & Myns. cent. 2. obser. 63.

231. Interdum in hoc primo termino Reconuentio proponi-  
tur ante litis contestationem: & pari passu in utraq; causa tam  
conventionis, quam reconventionis proceditur, & termini per  
vices habentur atq; seruantur.

in ordinat. Cam. tit. 30. parte 3. Mynsing. centur. 1. obs. 10. ubi limitatio-  
nem ponit, quod non semper simultaneè expediantur.

232. Sin post litis contestationem reconuentio proponatur an  
te quam fuerit in causa conclusum, tunc utraq; causa, separa-  
tum & distinctè per se sola tractanda & explicanda est.

in ordinat. d. tit. 30.

233. In secundo termino ( respondendi videlicet, litemq; con-  
testandi ) post productum libellum Reus aut habet dilatorias  
vel alias exceptiones, quas ante litis contestationem oponat:  
& eas si ante non produxit, in scriptis edere potest.

in ordinat. judic. Cam. tit. 13. parte 3. ex novissima constitut. Imperij Spi-  
rä edita, Anno 1570.

234. Aut non habet exceptiones: & tum respondere ad libel-  
lum, litemq; purè contestari tenetur: nsg; adeo ut sine litis con-  
testatione non procedat Indictum, qua fundamentum est, prin-  
cipium & substantia litis.

in ordinat. Cam. d. tit. 13. parte 3. usq; adeò Myns cent. 1. obs. 1. & cen-  
tur. 3. obs. 74.

235. Responderi autem articulis debet singulatim, breuiter,  
aperte, & distinctè per verbum Credit: vel non credit.  
Myns. centur. 1. obs. 86.

236. Si iuramentum calumniae ab una vel utraq; parte ex-  
actum fuerit, tum statim hoc eodem termino, aut deinceps cum  
petitur, praestandum est.

in ordinat. Cam. tit. 13. parte 3.

237. Estq; iuramentum calumniae religiosa Litigiorum af-  
severatio: qua utraq; asseruit, se nihil calumniae causa agere nec  
acturum esse, sed iuris sui opinione & fiducia fretum.

Vide disputationem, ex tit. C. de jure iuri, propter cal. da. quam me re-

G spondente,



spondente, in inclyta Acad. Arg. publicè, instituit Clarissimus D. Doctor Georgius Obrechtus. Anno 82.

238. Hoc iuramentum calunniae, sicut & malitiæ quotiescumq[ue] petitur, vel Prætor & Assessores præstationem eius necessariā esse putant, in nonis semper præstari debet.

in ordinat. Iud. cam. tit. 13, parte 3. scut & malitiæ) Andr. Geyl. lib. 1.  
obser. 87. no. 3.

239. Post litis contestationem & præstitum hoc iuramentum calunniae, Actor repetere suum libellum articulatum loco articulorum, aut si non articulatim propositus sit, terminum ad proximum, viua voce petere debet.

in ordinat. Cam. d. tit. 13. parte 3.

240. Repetito libello loco articulorum per Actorem, tum Reo terminus respondendi ad proximum, aut si libellus non fuerit articulatus, terminus ad articulandum Actori ad proximum concedi debet.

in ordinat. Cam. d. lib. 3. tit. 13.

241. Hodie verò iuxta nouissimam Constitutionem anno 70. in Comitys Spirenibus editam: Si Actor ab initio propositum libellum articulatum: tum Reus in hoc termino declinatorias vel alias exceptiones producere, simulq[ue] in scriptis litem eventualiter, aut si nulla exceptio ad protelandam litis contestationem in proprio sit, purè contestari, & exceptiones suas, unum cum annexis responsionibus in euentum ad articulos, & tum peremptoriales vel defensionales articulos, si quos habet, propone debet.

in ordinat. Cam. d. lib. 3. tit. 13. §. Demnach sollen auch die gewöhnliche re:

242. Sin autē propositum libellum summarium: tum Reus in hoc termino, unacum suis declinatorijs vel dilatorijs Exceptionibus, & in euentum litem in scriptis contestari, & defensionales quoq[ue] suos articulos, ut paulo antè dictum est, producere debet.

in ordinat. Cam. d. loco.

243. Interdum etiam tertius aliquis pro suo interesse intervenire, & causa unā cum principali assistere potest, non solum

in

*in prima instantia, ante & post litis contestationem, in principio, medio, & fine litis: verum etiam in causa appellationis non solum volente & consentiente principali, sed etiam eore-luctante & innito, etiam post rem iudicatam, ad executionem impediendam.*

Interdum) Andr. Geyl. lib. 1. obs. 70. in pr.

non solum) Geyl. d. obser. no. 3.

non solum volente) d. obser. no. 5.

etiam post rem iudicatam) d. obser. no. 13.

executionem impediendam) Myns. cent. 3. ob. 74.

244. *Debet autem interueniens causam acceptare, & in eo statu, in quo eam reperit: negat tenetur libellum exhibere, neq; litem contestari.*

Geyl. lib. 1. obs. 71. no. 1. in pr. & no. 8.

245 *In tertio termino (articulandi) si Actor ante libellum summarie editum non potuit repetere loco articulorum, producit iam positiones & articulos, qui actioni institutae consentanei esse debent, & numeris distincti.*

in ordinat. Cam. tit. 14. parte tertia.

246. *Formari quoq; debent ex substantia & corpore libelli: alias dicuntur impertinentes & non admittendi.*

Myns. cent. 5. obser. 88. & in ordinat. Cam. d. tit. 14. parte 3.

247. *Si antè libellum articulatum produxit, iam additio-nales articulos exhibit. At Reo dilatio conceditur ad responsendum Actoris positionibus & articulis.*

in ordinat. Cam. d. tit. 14. parte 3.

248. *Quartus terminus est vel ex ipciendi contra articulos, vel respondendi ad eosdem, vel proponendi defensionales.*

in ordinat. Cam. tit. 15. parte 3.

249. *Reus igitur Exceptiones aduersus Actoris positiones & articulos edit: Si nullas habet, legitimè respondet: Exceptio nes peremptorias, vel quasiis positiones, seu articulos defensio-nales & elisios exhibet.*

in ordinat. Cam. d. tit. 15. parte 3.

50. *Exceptiones autem contra articulos non temerè sunt*

*G 2 obiciende:*

objicienda: nisi cum speciali declaratione, & causis idoneis annexis. Et tum permisum est actori desuper uel viua voce concludere, aut, si ita libeat, in scriptis replicare, nullo praterea alio scripto admissso, quo minus ex utraq; parte eadem vel proximè sequenti iuridica concludatur.

in ordinat. Cam. d. tit. 15.

251. *Responsiones fieri debent ad singulos articulos qui non sunt iuris sed facti, per verbum credo, vel non credo, sine appendice: Et si articulum in uno loco credat, in altero vero non credat, distinctè significare debet.*

in ordinat. Cam. d. tit. 15. parte 3.

252. *Si minus idoneè & legitimè ad articulos responsum fuerit, licet parti aduersa contra huiusmodi responsiones exciperre, cum annexa liquidatione super quo absque ulteriori replicatione Index cognoscere debet.*

in ordinat. Cam. d. tit. 15. parte 3.

253. *Hoc quoq; termino iuramentum articulorum petitum prestatur, & sub eodem iuramento, repetuntur omnia apud Iudicem producta.*

in ordinat. Cam. d. tit. 15. parte 3.

254. *Quod si Litigatores non habent, quod ulterius discesserint, offerunt se ad probandum, ac statim, si volunt, Commissarios petunt & nominant: si nolunt, postulant dilationem ad designandos Commissarios.*

in ordinat. Cam. d. tit. 15.

255. *Quinto termino, si antè nulli Commissarii deputati sunt, iam idonei nominantur: Et si Litigatores in uno conueniunt, ille recipitur: si minus, datur dilatio contra nominatos Commissarios ad excipiendum, & rursus nominanti ad replicandum: post factam summisionem Index interloquitur.*

in ordinat. Cam. d. tit. 15. parte 3.

256. *Commissarii autem interdum etiam antecptam litem decernuntur, ad examinandos testes in perpetuam rei memoriam.*

Mysing, centur 1. obser. 18.

257. *Quod*

257. Quod si datus Commissarius à principio nolit vel differat in causa procedere, contra eum peti possunt Promotoriales, vel etiam mandatum cum clausula, ut teneatur procedere.

Mynsing. cent. 1. obser. 95.

258. Si testimoniū lingua non calleat, ad eorum examen interpretate uti potest.

Mynsing. cent. 5. obser. 45.

259. Et si suspectus post recusationē pergit examinare testes, potest ab eo appellari, & talis appellatio in Camera recipitur.

Mynsing. cent. 3. obser. 29.

260. Ceterū nūt articulos à Reo negatos Actor probare queat, dilatio petitur: qua datur pro estimatione Iudicis, habita ratione causarum & partium litigantium. Secunda tamen & tertia dilatio earumq; prorogatio nemini sine cause cognitione, & significatione adhuc ita summa diligentia concedenda est.

in ordinat. Ind. Cam. tit. 16.

261. Ad impetrandam quartam dilationem, requiritur speciale mandatum ad iurandum: qua solennitate premissa: & si causae relevantes allegantur, prorogatio quartae dilationis concedi debet: sed ultra quartam dilationem nulla amplius danda est: heredi tamen vel successori noua dilatio conceditur.

Mynsing. cent. 1. obser. 70.

Qua soleuitate) Myns. cent. 1. obser. 73. in pr. & obser. 72.

& si causae relevantes) d. obser. 72.

262. In sexto termino, elapso tempore ad probandum assignato, cùm primū in ordo Actorem attigerit, publicatio attestacionum petenda est: iura quoq; & documenta ab eodem producenda: partiq; aduersa copia eorum facienda, aut, si ei libeat, contra attestaciones & alia omnia producta dicendi & agendi tempus, usq; ad proximum concedi debet.

in ordinat. Cam. tit 17 parte 3.

## DE PROBATIONE PER CONFESIONEM. CAPVT XHII.

263. Omnis autem probatio vel per aduersarij confessionem

G 3 fit:

*fit: vel per testes: vel per instrumenta: vel per presumptiones:  
vel per iuriurandum.*

**264.** *Confessus in Iudicio appellare non potest: cum nulla fortior in iure probatio sit, quam partis aduersa confessio: ut in Iudicio confessus pro iudicato habeatur.*

*Appellare non potest) 1.2. & l. abstinendum. C. Quorum: app. non recip.  
Myns. cent. 4. obs. 50.*

*cum nulla fortior) l. unic. C. de confessi: l. qui de inofficio. D. de in.  
offic. test.*

**265.** *Probatio per confessionem aduersarij potest fieri post elapsas omnes dilationes datas ad probandum: sicut & ipsa confessio sit in qua cuncta parte Iudicij, etiam post sententiam.*

*Myns. cent. 1. obs. 94.*

**266.** *Confessio extra ius emissâ quando continet causam obligatoriam, inducit probationem contra confitentem.*

*textus elegans in l. Generaliter 13. C. de non nu: pecun. lib. 4. tit. 30.  
Non tamen indistincte confessio præjudicat confitenti: immo multa ad hoc  
requiruntur, quæ enumerat glo. & ibi Abb. & calij in c. si. de confess. Et sec:  
cōmūnem opin. confessio extra Iudicium debet fieri parte præsente. Hartm.  
Hartm. tit. de confessi in pract. obser.*

**267.** *Vnde si quis vult ex confessione vel in scriptis vel ore facta  
agere contra confitentem: non debet agere præcisè ex ipsa confessione,  
vel ex scriptura in qua confessio continetur: sed agendum  
est ex reali seu actuali obligatione: & postea in termino probatorio  
ad confirmationem intentionis, producendum est instrumentum confessionis,  
vel testes qui idem probant: Et tunc  
obtinebit.*

*in qua confessio continetur) puta dicere, Titum suisse confessum se ab  
eo recipisse, centum libras in depositum, & producere instrumentum confessionis: si ita agit succubit, quia videtur experiri sine actione, cum confessio etiam in scriptis facta non producat obligationem: ergo nec actionem.*

*actuali obligatione) dicens se realiter & actualiter deposuisse centum  
penes Titum.*

*tunc obtinebit) ut habet pulchrè Ang. Inst de Aet. §. sequens alia. in 4.  
col: Bald. in sua practica, fol. 33. col. 1. not. Hartm. Hartm. in pract. tit. de  
confessi.*

DE

## DE PROBATIONE PER TESTES.

### CAP V T XV.

268. Per testes si probatio instituatur: ante omnia diligens & eruditus Aduocatus, ex ipsis articulis interrogatoria, sive interrogationes formabit, in quibus consciendis accuratè omnes causæ principalis circumstantias expendere debet, ne interrogatoria super eo proponat, quod probatum, magis parti suæ nocere, quam prodesset posset.

ex ipsis articulis) Andr. Geyl. lib. 1. obs. 95. no. 4.

omnes causæ principalis circumstantias) Andr. Geyl. d. loco. no. 5. circa fin.

269. Testium autem productio sumptibus producentis fieri debet, sive ab Actore ad probandos articulos positionales, sive à Reo ad defensionalium probationem producantur. Et hos sumptus vi et us victori refundere cogitur, nisi ex iusta causa litigandi compensatio expensarum facta sit.

Andr. Geyl. d. lib. 1. obs. 99. in pr. & no. 1.

270. Caueretamen Index vel Commissarius debet ne testes ultra definitum à iure tempus, puta quindecim dies in loco examinis detineat, alias etiam venia non petita discedere, & domum redire possunt.

text. in l. si quando. C. de testibus. Andr. Geyl. d. lib. 1. obser. 99. no. 6. & 5. in fin.

271. Testis iniuratus nullam fidem facit. Tota enim substantia depositionis testium consistit in iuramento veritatis. Et Index non obstante renunciatione partium, testi iuramentum deferre potest, si ita ei videatur: nisi remissio facta sit Iudicis autoritate.

I. Inrisurandi. C. de testib. c. licet. Extr. cod. Andr. Geyl. lib. 1. obs. 103. no. 1. c. Nuper nobis. Extr. cod.

veritatis) ibid. no. 3. verb: ut sc. veritatem dicat.

Index non obstante &c.) ibid. no. 4. circa fin.

272. Porro in contiouersiis criminalibus & pecuniariis, quilibet testimonium dicere potest cui testimonij dictio non est interdicta.

I. in pr. D. de testib.

273. Est autem interdictum quibusdam testimonium, quia nullum habent iudicium, ut sunt furiosi & mente capti: quibusdam vero, quia imperfectum & lubricum habet iudicium, ut sunt impuberes & minores 25. annis in causa criminali, mulieres in testamentis, non item in ceteris actibus.

Impuberis & minores) textus in l. 3. testium §. Lege Iulia, D. de testibus l. 19. In iure, in f. D. d. t. l. 20. In testimonium. D. d. t.

Furiosi) l. 20, qui testamento. D. de testam. §. Ne furiosus quidem,

Mulieres) l. 20, qui testamento. §. Mulier D. d. tit. de testam.

non item in &c.) d. §. Mulier. c. quoniam Extr. eo. l. Ex eo. D. de testib.

Parentibus & liberis) l. testis 9, D. de testib. l. 5. parentes. C. cod. c. super eo, quod &c. Extr. cod.

Consanguineis & Affinibus) l. 4. lege Iulia & l. seq. D. cod. de testib.

274. Quibusdam uero testimonium denegatum est, propter presumptam erga eos affectionem, pro quibus, seu aduersus quos testimonium ferunt, utpote parentibus & liberis inuicem & consanguineis, & affinibus.

275. Eadem quoque ratione domestici, utputa maritus & uxor, dominus & famulus, similesq. personae nec pro se, nec aduersus se inuicem dicendi testimonij ius habent: licet plures testes ex una domo, alieno negotio adhiberi possint.

Domestici) textus in l. 2. C. de testib.

Dominus & servus) l. servos 7, C. cod. l. testes 24. D. cod.

licet plures testes ex una domo &c.) l. 17. pater & filius. D. cod.

maritus & uxor) c. super eo quod à nobis tua devotio &c. Extr. cod.

276. Eadem etiam ratione in Appellationis causa is testis esse prohibetur, qui in principali causa appellantis uel Procurator uel Aduocatus uel executor fuit.

l. fin. D. h. tit. de testib.

277. Denique amicorum magna sibi inuicem necessitudine de uincitorum testimonium simili ratione improbatum est.

l. 3. testium fides. circa princ. D. cod. verb: vcl amicus ei sit, &c. l. 4. Eos testes. C. cod. c. quoties. Extr. cod.

278. Quemadmodum & propter contrariae affectionis presumptionem inimicis capitalibus dicendi testimonij ius non concedatur.

d. l. 3. testimoniū fides. circa princ. D. de testib. verb. an inimicus ei sit. &c. d.  
c. quoties. verb. ui. iure se non privato odio. &c. Extr. cod. Auth. Si testis,  
veris, si verò dicatur odiosus. l. 13. si quis. veris, nisi ostenderit inimicitias.  
C. cod.

279. Præterea propter personarum reverentiam quidam, ut  
puta serui & liberti, à dicendo testimonio excluduntur.

Propter reverentiam personarum) d. l. 3. testimoniū §. 4. in fi. verb: nam  
quidam propter reverentiam &c. l. libertorum. l. servos. C. cod.

280. Alij quoq; propter infamia notam ad testimonij fidem  
non admittuntur, ut sunt y qui in publico iudicio vel ob car-  
men famosum damnati, qui periuri, qui excommunicati, quig;  
alia veliuris velfacti infamia notatis sunt.

Propter infamie notam) l. testimoniū 3. §. 4. in fi. verb: alij verò proptes  
notam & infamiam &c.

Publico iudicio damnati) d. l. Lege Iulia. l. scio. l. Repetundarū D. de testib.  
Qui ob carmen) l. ob carmen. D. cod.

Qui periuri) c. testimonium post princip. Extr. cod.

Qui excommunicati) c. decernimus. Extr. de sent. & excommuni-

281. Imò etiam in criminibus ià perhibendo testimonio res-  
gulariter arcentur, qui criminaliter accusati, nec dum absolu-  
ti sunt.

c. fin. Extr. Eod. de testib.

282. Sicuti & eorum testimonium in causa tam ciuili quam  
criminali reprobatur, qui testimonij ferendi tempore criminis  
bus obnoxij probantur: licet anteā de huinsmodi criminibus  
conuicti non fuerint.

obnoxij probantur) c. testimonium. in pr. Extr. cod.

licet anteā &c.) c. super eo. 13. Extr. cod.

283. Dentq; eiusdem criminis socius aduersus socium super  
eodem criminete testimonium dare non potest nisi forte Simo-  
niæ crimen fuerit, atque ex eo ciuiliter non criminaliter agas-  
tur. Hoc eni. in casu proxenetæ, si inde nil emolumenti conse-  
cuti sint, , in sceleris deflationem, contra eiusdem authores  
ad testimonium specialiter admittuntur.

eiusdem criminis socius) c. veniens. 10. Extr. cod. c. personas. 20. Extr.  
cod. l. quoniam. 10. C. cod.

nisi forte &c.) c. i. de testibus. in 6.

284. Alias in causis tam pecuniarijs quam criminalibus proxenetae, propter presumptam eorundem erga id quod gesserunt, affectionem à dicendo testimonio, regulariter repelluntur, nisi utriusque partis consensu admittantur.

l. servi 7. D. de testib. & l. ob carmen. verb. ut si res exigat. cod.

NB. Mynsing, centur. 3. obser 16.

285. Etsi verò supra scripta omnes personae regulariter instabiles sint, eorundem tamen testimonio nonnunquam credendum erit: si alia probatio ad eruendam veritatem haberi non possit: ne probationum inopia veritas facile supprimatur.

Novel. 90 §. Quoniam verò legem &c.

286. Illud certum est, nullum idoneum testem in resuainstelligi.

l. Nullus. D. de testib. l. 10. C. cod.

287. Et quamvis dubitatum fuerit, an Monachi testes idonei esse possint, verius tamen est posse: etiam si ex mendicantibus numero sint.

Idonei esse possint) arg. clem. Exivi de Paradiso. de verb. sig.

Verius tamen est &c.) c. nuper si. Extr. cod.

288. Hi uero quibus citatione facta testimonium denuntiatum est, si vel odio, vel fauore, vel timore se subtrahant, etiam iniuiti testimonium dicere coguntur: ne sua malitia veritatem facile occultent: idque obtinet tam in criminalibus quam ciuibus causis.

Coguntur) c. i. Extr. de testib. cog. l. si quando. C. cod.

ne sua malitia) c. quisquis. II. q. 3.

tam criminalibus quam civilibus) c. super ijs. cum seq. Extr. de testib. cog.

289. Si tamen hi vel valetudinarij, vel senes, id est 70. annis maiores sint, propter corporis sui, & sensum interiorum imbecillitatem, à testimonio dicendo, sicuti & à reliquis publicis muneribus excusantur.

l. Inviti 8. D. de testib.

70. annis maiores) l. maiores, 3. D. de jur. immunita. lib. 50.

290. Idemq.

290. Idemq; similites sint, si cum Magistratu Reipub. causa  
absint, si deniq; alio quoquis iusto impedimento detentum adferens  
dum testimonium uenire non possint.

d. l. invit. 8. & l. Invit. 19. D. de testib. l. 2. § 1. D. Si quis cautionibus in  
Iud. sistendi causa &c, lib. 2. tit. II.

291. Aduersarius testes productos admittere potest cum pro-  
testatione & saluis exceptionibus.

Nam hæc protestatio prodest, ut etiam testimoniū examinationē factā pro-  
testans nihilominus excipere possit, ubi alias regulariter non posset c.  
præsentium 31. verb: nisi forsan antē publicationem, id fuerit protestatus.  
Extr. eōd. de testib.

292. Examinationē testimoniū legitimē factā: producentis ad-  
uersarius ad probationem exceptionis in testimoniū examinato-  
rum personas, antē a se obiecta, admittitur, si antē à iudice non  
fuerit admissus: & hac probationē testes probatorios reproba-  
re poterit: sicuti & uice uersa primus producens alijs testibus  
adductis, præstojq; malitia uitanda iure iurando, eiusdem tes-  
tis licet refutare poterit: ulterius uero testimoniū reprobatio per-  
missa non est.

c. licet dilectus. 49. Extr. eod. de testib. Andr. Geyl. lib. 1. obs. 106. no. 7.  
ubi de reprobatione testimoniū.

293. Hoc peracto, Litigatores, si uelint, plures testes produ-  
cere possunt: Si uero nolint, renunciare debent testimoniū produ-  
ctionē. Et tum testimoniū dicta publicantur.

plures testes producere possunt) Andr. Geyl. lib. 1. obser. 103. no. 6.

publicantur) Geyl. lib. 1. obs. 103. no 5. versic. dicunt publicationē &c.

## DE PUBLICATIONE ATTESTA- TIONVM: CAPVT XVI.

294. Quod si publicatio hæc attestationum fuerit intermissa:  
& nihilominus sententia feratur: Est quidem talis sententia  
contra ius litigatoris, non autem contra substantialem ordi-  
nem iudiciorum. Et ideo transit in rem indicatam, si ab ea  
intra decendum non appelletur.

Mynsing. centur. 4. obser. 52. Andr. Geyl lib. 1. obser. 105. no. 1.

295. Publicatione facta: super ijsdem vel directo contrariis articulis, in eadem vel alia instantia: idem vel alij testes produci regulariter nequeunt.

Andr. Geyl. d.lib. 1. obser. 105; no. 2. & seqq; ubi limitat. Reg.

296. Verum iam partis producentis Aduocati erit officium, depositiones testium publicatas diligenter reuoluere, & ex ijs omnia que ad clientis sui intentionem fundanda faciunt, summa industria colligere.

297. Sicut ex contrario Aduocati partis aduersa erit, attestationum publicarum vitia diligenter annotare, eaq; excipiendo obiecere: quod scilicet dicta testium obscura sint: quod titubando & trepitando, uultumq; subinde mutando prolatu: quod varia, diversa, inconstantia: quod contraria: quod singularia: quod pugnantia, &c.

Obscura) c. cum clamor 53; vers. verum quod apertis &c. Extr. de testib. Obscurè enim dictum pro non dicto habetur. l. de aetate 11. §. nihil interest D. de inter: act: nisi forte declaretur vel corrigitur. c. præterea. in fi. Extr. de testib. cog.

Quod varia & diversa) l. 2. D. de testib. c. cum Ecclesia. vers. nos igitur. Extr. de caus. poss: c. dilectus. Extr. de temp. ordinat.

Inconstantia) Imò testis variationis & inconstantiae suæ nomine, à Iudice examinante competente puniri debet. l. qui falso D. de testib. l. Eos qui D. Ad L. Cornel. de fall' c. super ijs. Extr. de pœn.

Quod singularia) l. Iurisurandi. post princ. C de testib. d. c. veniens 1; c. cum à nobis. Extr. de testib. c. bonæ memoriac. vers. contra. c. cum dilectus. vers. nos verò. circ. fin. Extr. de Elec't.

Contraria pugnantia) c. licet. causam. versi quanquam Extr. de probat  
298. Præcipue autem & potissimum Index in testibus, corrumq; depositionibus considerare debet autoritatem personarum, qualitatem testimoniorum, & numerum testium.

Mysf. cent. 4. obser. 38. & cent. 1. obs. 93.

## DE PROBATIONE PER INSTRUMENTA. CAPVT XVII.

299. Deprobatione per instrumenta in primis sciendum, eorum appellazione, scripturas ad rerum gestarum fidem probandam confessas, propriè intelligi.

I. cum res C de probat, impropriè sumitur in l. i. D. de fid. instrum: &  
in c. pervenit i. Extr. de testibus cog.

300. Et horum alia sunt priuata: alia publica.

301. Priuata sunt quæ privatæ personæ manu priuatim con-  
scripta sunt: aliog. nomine domestica dicuntur.

I. instrumenta C de probat.

302. Hec autem instrumenta priuata pro scribente regulari-  
ter nullam fidem faciunt: nisi forte à Mercatoribus conscrip-  
ta: Vel trium pluriumùc idoneorum testimoniis subscriptione mu-  
nita: vel à scribentis aduersario approbata: Vel contra scriben-  
tem exhibita: vel deniq. alio iusto adminiculo fulta fuerint.

nullam fidem) I. rationes. cum Auth. seq. I. Exemplo. C. de probat.

nisi forte à mercatoribus) Libri Mercatorum quando probent. Vide  
Andr. Geyl lib. 2. obser. 20. pertot. & no. 3. &c.

trium testimoniis subscriptione) Andr. Geyl. lib. 2. obser. 25. no. 7. Et l. scri-  
pturas. in fi. C. qui pot. in pig. ha.

à scribentis aduersario probata) I. publica. § fi. in fi. D. depos.

contrà scribentem) I. generaliter C. de non nu. pec. l. si ex cautione l. In  
contractibus in pr. C. de non nu. pec.

alio iusto adminiculo) I. cum de indebito. verf. fin. D. de probat. c. cau-  
tio. Extr. de fide instr.

303. Publica verò instrumenta sunt, quæ publicæ personæ, ut  
potest ab ellis manu debita forma conscripta sunt. Et hæc  
nisi testibus impugnantur, plenam fidem faciunt.

nisi impugnantur) quia rei veritas potius quam scriptura perspici de-  
bet l. i. C. plus valere quod agitur &c.

304. Sunt tamen nonnullæ scripturæ publicæ quas non licet  
testibus impugnare, ut sunt monumenta publica, libri ciuitatæ  
tum, & cetera huiusmodi.

I. censu D. de probat. l. ul. C. Arb. tut. Myns. cent. 4. obs. 39. circa fin.

## DE PROBATIONE PER PRAE- SVMPTIONES. CAPVT XVIII.

305. Interdum plena quog. & legitima probatio per presump-  
tiones efficitur. Trita enim Iuris regula est, quod quando Iuris

presumptio est pro aliquo, relevetur ipse ab onere probandi, & in aduersarium transferatur.

Myns. cent. 5. obser. 68 in pr.

306. Quintum aduersarius qui contrarium probare nititur, duriore oneratur probatione.

Myns. d. cent. 5 obs. 68 in medio & in fi &c.

307. Presumptiones autem aliae temerariae & leues sunt; aliae probabiles & verisimiles, que nonnunquam n adminicula vocantur: aliae violentiae seu vehementissime: que nonnunquam & indubitatae indicia nuncupantur.

(adminicula vocantur) c. cum causam. 13. Extr. de probat.

certa & indubitata inditia) l. Inditia. C. de rei vind.

Sed quomodo haec tria genera discerni queant, totum hoc relinquitur arbitrio iudicis, ut si ex negotiis qualitate & circumstantiis, & ex aequo bono arbitretur, quando presumptionio ad plenam probationem sufficiat vel non. Unde vulgo dicitur, omnem presumptionem arbitrariam esse, ex l. cum de sentate. D. de probat. & l. 3. D. detestib.

308. Temeraria presumptionio iure respuitur, nec aliquam probationem facit. Probabilis vero semiplena in fidem facit, quae se vel fama publica, vel alijs legitimis adminiculis iuuetur, plenam probationem faciet.

Temeraria iure respuitur) c. Inquisitioni vers. in secundo, in fi. Extr. de sent. excommunicationis.

probabilis semiplenam) d. c Inquisitioni. in fi.

plenam probationem) c. præterea 27. vers. respondemus. Extr. de testib.  
309. Violenta autem presumptionio et si alijs adminiculis fulta non sit, non minorem tamen veritatis fidem, quam instrumenta & testes facit,

d. l. Inditia C. de rei vind. arg. l. filium. in pr. D. de his qui sunt sui vel al. Iu. l. fin. C. de probat. c adferte c literis. Extr. de testib.

310. Violenta presumptionis alia est iuris tantum, cum in aubio ius aliquid presumit, nec super presumptione ulteriori disponit. Alia iuris & de iure, cum in dubio lex vel canon aliquid presumit, presumptione confirmat, & contrariam probationem improbat.

alia est iuris tantum) quæ probabilis tantum est & contraria quam admittatur probatio.

alii

*alia iuris & de iure) Iuris, quia de Iure fluit: de jure, quia de ea jus factum est.*

*Hæc vim necessariæ probationis obtinet, sic ut contrariam probationem non admittat, quando se lege id nominatum constituitur, ut in l. Antiquæ C. Ad Maced. l. fin. C. Arbitr. tut. l. A divo. §. si pignora D. de re jud.*

**311.** *Denig, alijs legitimis probationibus deficientibus, ad eam probationis speciem que per iusurandum litis decisorium fit, recurri solet: quod subveniendum sit probationibus, nec nimium coarctandæ, ne veritati præjudicetur.*

*recurri solet) c. 2. Extr. de probat:*

*quod subveniendum &c.) Andr. Geyl. lib. 1. obser: 91. no. 7.*

**312.** *Iusurandum vel est iudiciale, quod litem terminat in iudicio, de quo solo hic agimus: vel extra iudiciale, quod extra iudicium defertur, lites non terminat: sed iras & controværias finit. De quo nihil in præsens.*

*quod litem terminat) l. 1. D. de Iurejur. l. pen. post princ. vers. Omne. C. eod, de quo tantum hic agitur.*

*lites non terminat) quia lis nondum est: Lis est ubi in Ius vel in Indicium ventum est: antequam in Iudicium veniatur controversia est, lis non est.*

**313.** *Iudiciale rursus vel est voluntarium: vel necessarium: vel indiciale in specie.*

*Rubric. D. de Iurejur. sive voluntario, sive necessario, sive judiciali.*

**314.** *Voluntarium interpres describunt, quod ex sola & mera voluntate partium proficitur, aut ex consensu utriusq[ue] partis, aut unius tantum. Et ab initio ab una parte potest suscipi, vel non suscipi: sed si semel est susceptum, non potest reaferri. Rectè.*

*Voluntarium) Nam is cui defertur iusurandum in Iudicio sive à parte sive à Iudice l. 12 §. Sin autem, C. de reb. cred. & Iurejur. non nisi volens jurat: ideoque id iusurandum venire dicitur ex pactione & conventione l. 1. l. 26. §. ul. 1 sed et si servus. & l. ul. D. de jurejur.*

**315.** *Necessarium esse volunt, quod immediatè per Iudicem defertur parti, & quod pars necessaria cogitur subire. Minus rectè.*

*Quoties quæso appellatur à delatione Iuramenti? Ergo non necessariò præstatur.*

**316.** *Imò id solum necessarium verè dicitur quod ab altera parte*

4

parte cui delatum est, refertur: quia is cui refertur, necessariò  
iurare cogitur, nec ullo modo eam conditionem rejecere potest.

1. pen. §. sed iuramento C. h.  
Quis enim ferendus est ad appellationis veniens auxilium, in ijs quæ ipse  
facienda procuravit, ait Iustin. dicto loco.

317. Iudiciale vocant, quod pars litigans defert parti litiganti in Iudicio iudice approbante. Et sic quidem iudiciale iurandum in genere describi potest.

Et sic quidem) quia omne iuramentum litis decisorium sub ipso Iudice  
datur. d. l. 12. §. Omne. C. d. tit. de reb. cre. & iu:

318. At melius in specie dicitur iudiciale quod ex autoritate  
& officio Iudicis, dum vel interloquitur, vel in ipsa sententia  
definitiva etiam in iuriis litigatoribus defertur, & iterum recte  
sari potest.

dum vel interloquitur) d. l. pen. C. cod. l. 31. & 34 §. ul. D. de jure iur.  
vel in ipsa sententia definit) l. ii. C. de sent. & interlocut. om. jud.

319. Septimo termino Reus aduersus Actoris probationes ex-  
cipere debet: nisi forte causa magnitudo & difficultas longo-  
rem dilationem desideret, que illi tum a Iudice decerni solet.  
in ordinat. Cam. tit. 18. parte 3.

320. Octavo termino Actor producit Replicas & alia omnia,  
que ad intentionem confirmandam facere videntur: Reus pe-  
tit exempla & dilationem ad duplicandum.  
in ordinat. Cam. tit. 19. parte 3.

321. Nono termino Reus similiter duplicas suas & omnia sibi  
utilia exhibet: mox decernitur terminus ad concludendum.  
in ordinat. Cam. tit. 20. parte 3.

322. Decimo termino ex scripto concludit Actor, ita tamen  
ne quid noui adferat, nisi iure iurando affirmet, se tum pri-  
mum id rescinisse. Reo quoq; datur dilatio ad concludendum.  
in ordinat. Cam. tit. 21. parte 3.

323. Utimo termino Reus similiter suas conclusiones, ex Ac-  
tis tantum deductas edit, citra omnem nouitatem: vel si quid  
noui post conclusionem alter litigatorum accidisse velit asserere,  
petere debet reservationem conclusionis quia impetrata sibi utilia  
ex scripto proponit, cui aduersarius suas defensiones objicit,  
in ordinat. Cam. tit. 22. parte 3.

## DE CONCLVSIONE CAVSAE.

### CAPVT XIX.

324. *Etsi enim conclusio non sit de substantia Processus, ita ut  
absq; virtus nullitatis omittit posset: tamen in Camera nulla sen-  
tentia publicatur, ne Interlocutoria quidem, nisi in causa legi-  
timè conclusum sit: parte vero concludere nolente, Index ea in-  
uita, in contumaciam causam ex officio pro conclusa acceptare,  
& in principali pronunciare poterit.*

Andr Geyl, lib. i. obser. 107. no. 1. & 2.

325. *In causa vero conclusum dicitur, quando utringꝫ proba-  
tionibus & allegationibus renuntiatur.*

Andr. Geyl. d. lib. i. obser. 107. no 3.

326. *Renunciatione conclusione ꝑ in causa à partibus utringꝫ  
facta, Prætor ad principalis negotijs decisionem progredietur:  
utq; ea melius expediatur. totius cause processum Referenti &  
correferenti discussendum cōmit:it: qui ipsum diligenter dis-  
cussum et sub compendio restrictum, Prætori atq; Senatui intra  
certam diem referant.*

Ex communi praxi & usu forensi omnium ferè Iudic: Et præcipue  
Iudic: Cam imp

327. *Relatione facta, prætor secum & cum Assessoribus om-  
nia Iudicij acta, & totius cause merita ad inuicem conferre,  
atq; ex illorum collatione, quid sibi diffiniendum sit, pleniū de-  
liberare debet.*

328. *Examinatione consultatione facta, statim ex eo quod  
inter ipsos conclusum fuerit. sententia vel absolvatoria, vel con-  
demnatoria, & ipsius negotijs diffinitiva concipietur & con-  
scribetur.*

Ex ordinat Cam. & communius usu forensi &c.

## DE SENTENTIA.

### CAPVT XX:

329. *Et quamvis regulariter partes ad audiendam senten-  
tiam*

I      iam

riam definitinam de Iure cōmuni citari debeant: tamen in Iudeicio Camere Imperialis citatio ad audiendam sententiam, tam in definitiuis, quām interlocutorijs non requiritur: verū sufficit partes semel ad totam causam legitimè & peremptoriè citatas fuisse.

Andr. Geyl, lib. i. obser. 109. in pr. & n<sup>o</sup>. 3.

330. Quod si lis mota est super causa priuilegiata, ut sunt cause violatæ seu fractæ pacis, cause spoliij, executionum, alimenterorum, miserabilium personarum, pupillorum, captiuorum, & id genus alia, ubi periculum in mora existit, huicmodi cause p̄e ceteris expediri, & maturè ad referendum, perij sententiam diffiniendum committi debent.

In ordinat. Cam, tit. 47. parte 3.

331. Si agatur de causa non priuilegiata: tum si recens est conclusum in causa, postponenda est antiquiori, nisi periculum sit in mora: si iam dudum est conclusum, cause priores & antiquiores ratione cōclusionis, p̄e ceteris primo quoq, tempore, quoad fieri potest, determinanda, & per sententiam diffiniende sunt.

In ordinat. Cam. tit. 47. parte 3.

332. Decretis atq. conceptis sententiis diffinitiuis vel interlocutoriis, eadem presente Prætore & omnibus Assessoribus eius Audientia publicandæ sunt: idj, patente ianua dicasterij pro veteri more fieri debet. Et tunc post publicationem sententiarum, audientia inchoanda est.

In ordinat. Cam. tit. 47. parte 3.

333. Et licet causa agitata sit per Procuratorem, tamen sententia concipitur in personam domini indistinctè: excepta causa iniuriarum, in qua, ad euitandam infamiam, sententia in Procuratorem fertur, pro arbitrio Iudicis, & qualitate iniuriarum:

Andr. Geyl, lib. i obser. iii. in pr. & no. 2 & 3.

334. In sententia autem ferenda, sicut in reliquis Iudicij actibus, Index iustitiam & aequitatem ante oculos semper habebit.

AIG

atq; ab omni prava affectione alienus erit; alias punietur, &  
parti laſe ad id omne condemnabitur.

æquitatem antè oculos) I. quod si Ephesi. in fin. D. de eo quod certo lo-  
co. I. quod utiliter. §. Titius. D. de nego. gest.

alias punietur) I. ult. C. de poena Iudic.

335. Et licet Regula, sit, sententiam debere conformem esse li-  
bello, nec aliud continere, quam fuerit petitum: sunt tamen  
multi casus, in quibus toleratur libelli sive petitionis & senten-  
tiae discrepantia.

Mynl centur. 4. obser. 81.

336. Hinc Iudex victum victori in litis Expensis, victoris  
iuramento, vel Iudicis arbitrio taxandis (nisi forte victus ins-  
tam & probabilem litigandi causam habuerit: & victor vice-  
rit ex iuramenti supplicatione) condemnare debet.

Hinc Index &c.) I. properandum. §. sive autem C de jud l. Eum quem  
teme in pr. D. de jud.

(nisi forte) Auth. de judic. §. oportet.

& victor vicerit &c.) Bald. in Auth. generaliter. no. II. C. de Epise.  
& Cleric.

337. Imò potest Iudex condemnare Reum conuentum in fructi-  
bus interesse vel expensis & usuris, sive petit & sint, sive non: mo-  
xime quando Litigator sibi ius & iustitiā administrari petijt.

Mynl. cent. 4. obser. 55.

338. Ceterū iniustitiae atq; iniquitatis nomine sententia  
diffinitua, qua ipso iure subsistit, vel per integrum restitu-  
tionis beneficium rescindi, vel per supplicationis refugium, vel  
per appellationis auxilium impugnari potest.

per in integ. restit. benefic. rescindi) C. Si adversus rem jud. per tot.

vel per supplicationis refugium) I. 4. si quis. & auth. seq. C. de precib.  
Imp. offer.

vel per appellationis auxilium) tit. D. & C. de Appellat. pertor.

## DE SECUNDA INSTANTIA SEV de Appellationibus.

### CAPUT XXXI.

I a 339. Quo-

339. Quoniam verò sententiae definitiæ per Iudicium imperitiae iniuriam iniquitatemque & probationum inopiam male late ipso iure subsistunt : ne per decem dierum lapsum in re non iudicata transiant iure tam civili quam Canonum Appellationis remedium merito introductum est.

(ipso iure subsistunt) c. cum inter nos. in fi. Extr. de sent. & rejud. l. t. vers. Item cum. in fi. D. quæ sent. sine appellat. rescind.

340. Eo enim ipso nonnunquam Iudicium imperitiae iniquitasque corrigitur, & sententiae male late in melius reformatur: nonnunquam probationum defectus in principali controvèrsia emergens, in Appellationis causa suppleri potest.

Eo enim ipso &c. l. t. in pr. D. de Appellat.  
suppleri potest) l. per hanc vers. sed et si. C. de temp. appellat.

341. Appellare non igit tantum possunt, qui condemnati & condemnatione grauatis sunt: sed etiam igit omnes, quorum interest sententiam latam non esse, siue aduersus eos, siue alios lata fuerit: nec refert, an pecunie intuitu intersit, an solius affectionis pietatisque respectu:

l. i. D. de Appellat.) sed etiam) l. ab Executore. 4. cum l. seq. l. tutor. D. de Appellat. c. cum super Extr. de sent. & rejud.

quorum interest) l. i. D. de Appellat. recip. l. 2. in fi. D. quando appell. nec refert) d.l. i. D. de Appellat. recip. l. 2. in fi. D. quando appell.

342. Circa causas Appellationis quatuor præcipue considerari solent que probanda sunt per Appellantem: prius non quod fuerit appellatum: idq. vel via voce, vel in scriptis.

Mynsing centur. 3. obser. 15. Ex qua etiam seqq. theses desumptæ, usq;  
ad 352.

343. Nam si in continentia diffinitiua appelletur, potest appellari via voce: & sufficit quod grauatus dicat Appello, idq. scribucuret per Notarium ad acta.

344. Si uero appelleetur ex intervallo post latam sententiam, semper in scriptis appellandum est, alias appellatio non valet.

345. Sin ab Interlocutoria appelleatur semper id in scriptis fieri

fieri debet, sive statim, sive ex interuallo, nisi habeat vim de  
finitiue.

346. Deinde quod Appellatio fuerit facta ex iusta causa, quam  
etiam in processu probare oportet: siquidem ab Interlocutoria  
appelletur, nominatim & in specie omnes causae grauaminis ex  
primi debent: sive à definitiua, sufficit generaliter si dicat ap-  
pellans se grauatum esse.

347. Si tamen causa grauaminis in mero iure consisteret, a-  
deo quod nullam facti probationem requireret, vel vim defi-  
nitiae haberet, valet Appellatio ab Interlocutoria etiam sine  
causæ expressione.

348. Tertiore requiritur, quod intradecendium seu decem dies  
Appellatio fuerit interposita.

349. Deniq; quod intratempus legitimum vel à Iudice præ-  
criptum Appellationis facta sit prosecutio: utpote in Iudicio  
Cameræ, intra semestre.

350. Ex his quatuor requisitis unum si deficiat, Appellatio  
censetur deserta esse.

351. Porro notandum in scriptis Appellationem fieri, quando  
porrigitur libellus Appellatorius scriptus: alias si quis uiua  
voce dicit appellacionem, & Notarius illam deinde in scrip-  
turam redigat, non dicitur appellatio facta esse in scriptis: sed  
elapso decendo, ad appellandum concessa, sententia transit in  
rem iudicatam.

352. In appellatione autem illud maximè spectandum, An sum  
ma priuilegio de non appellando sit conformatis, nec ne.

Mysl. cent. 5. obser. 83. Geyl. lib. 1 obser. 119 no. 5.

353. Merita uero cause principalis ante litis contestatio-  
nem in controuersiam uel dubium uocari, & per consequens in  
recipienda appellatione attendi non debent.

Andr. Geyl. lib. 1. d. obser. 119. no. 6.

354. Nam utrum appellatio sit friuola, nec ne, merita con-  
cernit, & in calculo ferende sententiæ discuti debet.

Andr. Geyl. d. lib. 1. obser. 119. no. 6. in fin.

355. Quod si quis pluries appellariet, stat in ipsius arbitrio,  
quam uelit prosequi: una iamen electa, reliqua concidantur.

Mysl centur. 1. obser. 7. in fi.

356. Pendente Appellatione, quando Appellans aliquid insi-  
gnat, vel attentat in praejudicium aduersarij, tum ex hoc ipso  
Appellationem deseruisse censemur.

Mysl centur. 2. obser. 50.

357. Terminii huius secundae instantiae precipuit tres sunt. Anz  
te omnia offertur duplex libellus, cum mandato (si Procurator  
supplicat) vel mandati testimonio: mox citatio decernitur, &  
terminus definitur.

In ordinat. Cam. parte 3. tit. 31.

358. Termino adueniente Appellans per se aut per Procuratos  
rem comparet & exhibet citationem insinuata n, vna cum in-  
hibitionibus & compulsorialibus si que anteas fuerunt impetratae  
& ad executionem perducte: simulq; producit instrumentum  
Appellationis, Acta prioris instantiae, & libellum Appellatio-  
nis: omnia designata literis A. B. C. D. &c.

In ordinat. Cam. parte 3. tit. 31.

359. Et quod magis exhibere Acta posset Appellans, post inter-  
positam appellationem, etiam si literas compulsoriales adhuc  
nullas impetravit, testatò adire potest Iudicem a quo appella-  
sum est, & petere Apostolos, seu literas testimoniales, unà cum  
Actis prioris instantiae: offerēs cautionem de salario scriptoris:  
Et, si vult, potest appellans adhibere Notarium qui responsum  
Iudicis in breve redigat instrumentum.

In ordinat. Cam. parte 3. tit. 31.

360. Si iude x non dedit acta, tunc Appellans vel eius Pro-  
curator hoc primo termino impetrat compulsoriales: his iudicii  
oblatis, si adhuc expreſſerenuat, aut tacite Actorum editionem  
differat: potest Appellans ad panam compulsoriaibus insertam  
procedere: si vero edidit Acta, appellans ex ijs concipit libellū,  
atq; hoc termino, vna cum Actis producit.

In ordinat. Cam. parte 3. tit. 31.

361. Et si forte lux ex clausa & obſignata dedit Acta, necesse  
est ut ea qualia sunt, sub luce rando ad Iudicem superiorē,

deferat, ut ille saluis sigillis aperiat, & Appellant ad libellę  
compositionem restituat.

In ordinat Cam. parte 3. tit. 31.

362. Itaq; si vel ipse Appellant vel eius Procurator hoc termino tantum exhibere potest testimonium, se Acta petisse, sed  
imperare non potuisse, non compelli potest ad libellandum: (ut  
loquuntur) multò minus pro contumace haberi debet, donec  
Acta recipiat.

In ordinat Cam. parte 3. tit. 31.

363. Ceterum si à sententia Interlocutoria irreuocabiliter  
grauante (qua tamen vim sententiæ definitiæ non habuit) ap-  
pellatum fuit, sufficit si Appellant instrumentum appellantioris  
loco libelli apud Indicē repeatat, & breuiter pronunciaripetat,  
quod nulliter aut male pronunciatum, & bene appellatum sit.

In ordinat Cam. parte 3. tit. 31.

364. Vbi verò ab interlocutione vim definitiæ habente, vel  
à sententia definitiæ fuit appellatum: ibi necesse est, ut hoc ter-  
mino libellus Appellantiorius exhibeatur.

In ordinat Cam. tit. 31 parte 3.

365. Planè circa interlocutionem, quasi definitiūam, con-  
cluditur libellus, ut antè dictum: at circa definitiūam adycit  
tur, Peto vestra sententia pronunciari, quod nulliter vel male  
definitum, & bene pronunciatum sit: Iccircò aduersarium  
iuxta actionem in priori Iudicio editam condemnari.

In ordinat Cam. tit. 31 parte 3.

366. Quod si forte inhibitiones cum citatione: & compulso  
rialibus antè fuerunt impetratae, ac priori Iudici insinuatæ: ea  
hoc tempore simul Appellant reproducere, & quidquid adver-  
sus ea actum fuit, scripto proponere debet concludendo ad pœ-  
nam inhibitioni insertam.

In ordinat Cam. parte 3. tit. 31.

367. At si nullæ inhibitiones fuerunt decretæ: & pendente  
appellatione attentetur aliquid, seu innouetur: licet Appellant  
scripto id cōqueri, ac petere ut omnia attentata restituantur in  
integrum, quodquidem celeriter exerciri debet.

In ordinat. Cam. parte 3. tit. 31.

368. Interea tamen Appellationis causa non est differenda: sed utraq; causa suo ordine est cognoscenda: nisi forte attentata fuerint notoria, vel in continentibus probari possint. Tum enim ante omnia restituenda sunt.

In ordinat. Cam. parte 3. tit. 31.

369. Reus prouocatus hoc termino primo, petit omnium eorum que Actor edidit exempla: & ad describendum dilationem.

In ordinat. Cam. parte 3. tit. 31.

370. Secundo termino, si Appellatus vult Appellationem impugnare: & contra denunciationem, vel alias, dilatorias exceptiones obijcere: eas articulatim proponit.

371. Si verò nullas habet impugnationes: litem cōtestari potest: quam vicissim ipse Appellans contestari tenetur: licet in causis appellationis processus ob omissam litis cōtestationem non corruat, si modo in prima instantia litis contestatio intercesserit.

In ordinat. Cam. parte 3. tit. 32.

372. Quodsi Appellans articulos nullos vult proponere: statim cum litis contestatione concludere, vel ut ulterius procedatur, petere potest. Concludente statim Appellante, prouocatus petit dilationem ad ulteriore processum.

In ordinat. Cam. parte 3. tit. 32.

373. Tertio termino, si antea Appellans articulos libelli appellatorij repetit: Appellatus ipsis respondet: si verò Appellans antea petit dilationem articulandi, seu ulteriore processum: iam scripto concludet: quo casu prouocato datur dilatio ad respondendum & concludendum.

In ordinat. Cam. tit. 33. parte 3.

374. Post hoc scriptum neutri permittitur ulterior disputatio: sed utraq; pars simpliciter concludere tenetur.

In ordinat. Cam. tit. 33. parte 3.

375. Deniq; si Appellans in causa principali noui aliquid vult proferre, vel priora magis declarare, aut confirmare: potest id articulatim facere: & hoc casu, eodem procedetur, quo in priori instantia, probationis ordine.

In ordinat. Cam. parte 3. tit. 33.

376. Pars

376. Pari ratione si Reus conuentius non has exceptiones vult proponere ac probare, admitti debet.

In ordinat. Cam. parte 3, tit. 33.

377. His omnibus perfectis & sententia lata: Index vel Massistratus rem iudicat am exequi debet: & primum res mobiles animales pignori capere, & distrahere: quarum precium si non sufficerit, etiam res soli capti & distrahi possunt. Quod si nulla mouentia sunt, à pignoribus soli initium faciendum. Quod si nec quae soli sunt, sufficient; ve, nulla sint soli pignora, tunc peruenietur etiam ad iura, nomina & debita. Que si omnia deficiant: persona prehenditur, & in vinculis usq; ad solutionem debitum aut satisfactionem custoditur.

textus in l. à Divo Pio §. in venditione. & ibi glo. D. de re jud. Barth. in l. 3. §. tutores. D. de suspect. tut.

FINIS

Laus Deo trino &  
uno.

K

STEPHANO BERCH.  
TOLDO RATISBONENSI, SV-  
prenum Docturæ honorem in Iurispru-  
dentia adepto.

(dor,

**T**meritò Quid enim Pietas, Industria, Can-  
Quid labor assiduus non facit atq; parat?  
Verus amor Domini, rerū sapientia prima,  
Et fons iustitiae, principiumq; boni est.  
Qui valet ingenio; factis extendere famam,  
Et de stirpe leui se reueare potest.  
Sic candor mundo gratus sic gratus Olympo est:  
Gratiore est, quoniam rarior esse solet.  
Et labore edit opes, labor est nutricius artis:  
Hunc sequitur virtus, gloria, fama, decus. (norem,  
Ergò si quæris STEPHANVS BERCHTOLDVS ho-  
Cur modò Doctoris ius titulumq; ferat?  
Accipe (nota loquor) Pietas, Industria, Candor,  
Atq; Labor tantum commeruere decus.  
Tu si forte cupis simili inclarescere sorte:  
Fac eadem, ac eadem non minus ipse feres.

Georgius Obrecht I. C. Professor Codis-  
cis in incolita Academia Argens.  
&c. gratulatur.

AD E V N D E M.


**R**æmia non tribuit victrix sine puluere fama:  
Nec imputata floret usquam vinea.  
Nec Cererem reddit tellus inarata quotannis.  
Sudore BERCHTOLDE hic & sanguine est  
opus,

Non

Non fors, non virtus, aut Ars sic aëre iaspia  
Cuiquam oscitanti deuolat statim in sinum.  
Multa ferat faciatq;, cupit qui viuere felix:  
Nam per labores Fors, Ars, Virtus eminent.  
Sic multo studio, S T E P H A N E, assiduoq; labore  
Cedit tibi nunc parta Iuris laurea.  
Accipe, sacra tibi quam dat Themis omne fausto:  
Et fruere felix hac, & insignis diu.

*Nicolaus Reusnerus I. C. Professor In-  
stitutionum &c. in inclita  
Acad. Argent.*

F I N I S.



Anno Christiano  
M. D. L X X X V I I.




380/44/51981(5)

Freie Universität Berlin



5380140/188



+ colorchecker CLASSIC

